

47

M. M. von BAUMHAUER,

DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA ET CRITICA

DE

MORTE VOLUNTARIA.

DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA ET CRITICA

DE

MORTE VOLUNTARIA.

DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA ET CRITICA

DE

MORTE VOLUNTARIA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII ADRIANI BERGSMA,

MATH. MAG., PHIL. NAT. ET MED. DOCT., PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

MARIA MATTHAEUS VON BAUMHAUER,

BRUGIS NATUS.

A. D. VI M. OCTOBRIS, MDCCCXLIII, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVIT N. VAN DER MONDE.

MDCCCXLIII.

Coutume, opinion, reines de notre sort,
Vous réglez des mortels et la vie et la mort.

VOLTAIRE.

PRAEFATIO.

Fortunate mihi contigit ut, quum jam per aliquot tempus in antiquorum philosophorum de morte voluntaria sententiis investigandis essem versatus, intelligerem, fore ut haud parum utilitatis voluptatisque inde perciperem, si quaecunque ex jurisprudentiae studio profecissem in hanc quoque disquisitionem conferrem. Fugiebam molestias, quibus vulgo premuntur ii, qui primum in aliqua doctrina vires suas experiri cupiunt, ut, quid primum arripiant, ipsi vulgo nesciant, haesitando tempus consumant arreptoque argumento saepius illud vel inceptum rejiciant vel summo cum taedio elaborent; vindicabam mihi quaestionem, in qua non plane hospes esse videri poteram, tum illud quoque vitabam, ne cum praejudicatis opinionibus ad argumentum accederem, quod nisi libero animo, me quidem judice, rite tractari non poterat. Fateor me quoque innumeris difficultatibus debuisse conflictari, eoque gravioribus, quo majorem in perscrutando operam ponerem; verum, in qualicunque argumento verser, illud semper tenens, errare humanum, nescire turpe esse, sedato, constanti et invicto animo summas adeo molestias superari, non destiti; neque unquam

animo despondeam, quamdiu vires ad literas doctrinasque colendas mihi concedantur.

Hoc specimine conscripto, quum ad metam stadii Academici, in quo summa optimi Patris cura et liberalitate per integrum decennium excurrere mihi licuit, tandem pervenerim, ad Vos me converto, Praeceptores aestumatissimi, ut pro vestra egregia institutione debitas gratias Vobis referam.

Quidni primo loco Te compellem, Cl. Ackersdyck, *Promotor dilectissime, qui, a quo inde tempore jurisprudentiae operam navare coepi, singulari benevolentia et humanitate me exceperis, e cujus vero lectionibus et privata consuetudine summam voluptatem percipere mihi evenerit? Accipias, Vir Cl., gratissimi animi significationem, quod, quum hanc disquisitionem prudentia tua moderare humanissime susceperis, consiliis tuis mihi semper praesens adfueris.*

Te, Cl. Holtius, *eximium juris Romani et Mercatorii in hac Academia interpretem, laetor me nactum esse Praeceptorem grata memoria semper colendum; neque Tui immemor ero, Cl.* de Brueys, *cujus lectionibus interesse mihi contigit eo tempore, quo, quum per viginti et quod excurrit annos Codicem Civilem Francicum interpretatus fueris, gravissima Tibi committebatur provincia, ut novi Codicis Civilis Neerlandici praecepta discipulis tuis traderes; quibus utrisque lectionibus me magna cum voluptate interfuisse lubens profiteor.*

Recordatione V. Cl. Birnbaumii, *Praece-*

ptoris dilectissimi, cujus lectionibus per triennium frui mihi licuit, cujus memoria vero alto pectori infixa semper manebit, oratio mea ad Te tandem devenit, Cl. Vreede, *eximiae doctrinae Viri successor meritissime. Ex animo Tibi Academiaeque Ultrajectinae amplissimum illud munus gratulor, eo gravius quo majora Antecessoris tui fuere merita. Licet studia mea jam eo processissent, ut tuis lectionibus non amplius interessem, grati tamen animi sensu afficior humanitatem reputans, qua me semper excepisti, qua ad lautam tuam bibliothecam, libros quos maxime desiderarem ut conquirerem, aditum mihi non tantum concessisti, verum adeo sponte desideria mea praevertisti. Eadem benevolentia ut me prosequi pergas illiusque immemorem me numquam reperias, etiam atque etiam opto.*

Amici, quibuscum seria et joca miscere, vitam suavissime transigere mihi contigit, fere omnes Academiae dudum valedixerunt. Nonnullos lugeo, praematura eheu! morte suis et civitati ereptos, superstites vero laetor absentes et praesentes eadem me amicitia semper esse prosecutos. Est sane tristissimum valedicendi officium; amicorum vero, quos fidos expertus sum, quocunque me fata ducant, memoria me manebit jucundissima.

Scripsi Traj. ad Rhen. m. Sept. MDCCCXLIII.

CONSPECTUS.





EXORDIUM.

Ut in omni disquisitione, quae morali nititur principio, ita in primis in quaestione de morte voluntaria maxime spectanda naturarum diversitas, minor majorve animi robur ingeniique cultus, varia hominum indoles et conditio, tempora, caussae, fortunae bona vel mala. Alii, calamitatibus fracti, aegritudine, morbis laborantes, sibi indulgentes mortem voluntariam licitam, omnium malorum optimum remedium esse duxerunt; alii, rerum copiis undique affluentibus, mortem sibi inferre minime licere, summam impietatem, atrocissimum facinus esse statuerunt. Vindicarunt sibi hanc quaestionem certatim ICti, medici, philosophi, theologi. Jura civitatis alii morte voluntaria laedi, legibus igitur poenisque vindicanda; alii sive corpora sive

animos morbis laborare,, remediis ideo sananda; alii divina praecepta sperni, mores corrumpi, jura idcirco divina tuenda, falsas hominum opiniones, superstitiones radicitus evellendas, mores emendandos, animos praeceptis ethicis, cum e philosophiae tum e religionis Christianae cultu hauriendis, imbuendos esse sibi persuasum habuerunt. Plerique, ne dicam fere omnes, praepostere de morte voluntaria judicantes, ut memoriam defuncti ignominia notarent, poenas velut remedia constituendas duxerunt, quae non ipsum reum sed defuncti propinquos vel heredes tangebant et ignominia afficiebant. Qui error quum dici vix possit quantos radices egerit, ut ne nostris quidem temporibus praejudicium illud, saeviendum in suicidarum cadavera, prorsus evanuerit, a nostra aetate, qua, grassante undique luxuria et morum corruptela, mirum in modum adauctus est suicidarum numerus, haud aliena mihi visa est disquisitio historico-juridica de legibus seu remediis tam ab antiquis quam a recentioribus populis excogitatis ut huic perplexo humanae naturae statui occurrerent; in qua disquisitione ne desideretur morale principium, sine quo inanis videri posset, in secunda parte, variis in utramque partem sententiis brevi conspectu propositis, animadversiones quasdam criticas adjungendas esse duxi, quibus hujus qualiscunque tandem actionis naturam et caussas investigarem simulque inquirerem num vel quibusnam remediis huic infelici generis humani conditioni occurrendum videatur.

Quum vero vocabulorum accurata distinctio definiendique subtilitas summi sit momenti, ut adeo his fundamentis temere positis totum aedificium labet necesse sit, anteaquam ad ipsum argumentum accedam, voces, quibus antiqui et recentiores hanc hominis actionem expresserint, exponam ipsiusque actionis definitionem quandam constituam.

Ut cum Graecis incipiam, quorum lingua, ut elocutione ceteris praestat, ita ferax fuit vocabulorum quibus hanc actionem exprimeret, *αὐτοχειρία*, quae vox latissime patet, latiori significatione de omni re quae propriis manibus vel propria arte perficitur usurpari solet ([1]); *αὐτόχειρ* igitur vel *αὐτοχείριος* non tantum dicitur is qui sua manu se interficit, qui suo sanguine *αὐτόχειρ βάπτει ξίφος* ([2]), sed etiam is qui in alium saevit, qui caedes facit ([3]); quam duplicem significationem recipiunt quoque voces *αὐτοέντης* vel *αὐθέντης* ([4]), *αὐτοθάνατος*, *αὐτοκτόνος* ([5]), *αὐτοφόντης* ([6]). Praeci-

---

([1]) De variis hujus vocis significationibus vide Hermannum, de autoch. et phil. et ex legg. Rom. cons. p. 1 et 2. Cf. Hesychius in v., Tom. I, p. 630 sq. ed. Alberti. ([2]) Lycophron, Alex. v. 1121. ([3]) Cff. Phavorinu , Dict. p. 322 fol. Bas. 1538, Schol. in Eurip. Phoen. v. 887 ad vocem *αὐτόχειρ* et Morus ad Isocr. Paneg. c. 32 not. *g*. ([4]) Cff. Schol. in Soph. Oedip. Tyr. v. 107 et in Eurip. Androm. v. 172, Hermanni annott. ad Vigerum, p. 727, N°. 124; in primis vero Valckenaerii diatr. in Eurip. perd. carm. rel. c. 18, p. 188 sq. ([5]) Aeschylus, Sept. adv. Theb. v. 790, Lycophron, Alex. v. 440. ([6]) Cff. Eurip. Med. v. 1269, et Schol. ad h. l.

pua tamen et vulgaris vocis αὐτοχειρίας, pro qua tritum erat adverbium αὐτοχερὶ vel αὐτοχειρί ([1]), significatio ea est, qua adhibetur de alicujus actu voluntario quo fata sua properat vitaeque physicae finem imponit, eâdemque optime convenit cum vocibus αὐθαιρέτῳ θανάτῳ ([2]), αὐτοκτονία, αὐτοφονία· is vero qui mortem sibi consciscebat Graecis etiam dicebatur αὐτοδάϊκτος ([3]), αὐτόρεκτος, αὐτοσφαγής, αὐτοφονευτής, αὐτοφόνος ([4]). — Quum lingua latina desideraret vocem, qua voluntarium hunc actum exprimeret, ipsa adeo locutio *mors voluntaria* latius pateret caedemque etiam complecteretur in volentem commissam, recentiores, cum philosophi et medici, tum maxime ICti, vel graecas voces, αὐτοχειρίαν, βιοθάνατον ([5]), servarunt, vel eas latine, *autochiriam*, *autophoniam*, transscripserunt; alii novas voces, *suicidium*, *propricidium*, excogitarunt; alii compositas voces, *caedem propriam*, *homicidium sui ipsius*, *interfectionem sui ipsius*, *melancholiam anglicam*, *melancholiam suicidam*, *mortem propria manu sibi paratam*, *mortem sibimet conscitam*, *necem in se ipsum*, *voluntariam sui necem;* alii deniqne latinam vocem *mortem voluntariam* arctiori significatione usurparunt.

([1]) Vide Callimachum, Epigr. 21, in Anthol. Gr. L. III, Tit. 23, Epigr. 17 edit. II. de Bosch. ([2]) Plut. vita Agid. et Cleom. p. 819 F. ([3]) Cff. Phavorinus, op. l. p. 322, Hesychius, in v. ([4]) Anth. Gr. Lib. I, Tit. 33, Epigr. 16, Lib. III, Tit. 14, Epigr. 10. ([5]) De hac voce vide Bibl. rais. 1723, P. I, p. 87 suiv.

Anglica lingua invaluerunt voces *felo-de-sè*, *self-homicide*, *self-killing*, *self-murder*, *suicide*; Francica *suicide* (1), *homicide de soi-même*, *homicide réfléchi de soi-même*, *meurtre de soi-même*, *meurtre volontaire de soi-même;* Germanica *eygne Tödtung*, *freiwilliges Sterben* (2), *freiwillige Selbsttödtung*, *freiwilliger Tod* (3), *Selbstentleibung*, *Entleibung seiner selbst*, *Selbst- und Eigenmord*, *naturlicher Selbstmord;* vernacula denique lingua *desperatie* (4), *zelfdooding*, *zelfsmoorderye* (5), *zelfmoord*. — Voces *zelfdooding*, *zelfmoord* vulgo a scriptoribus promiscue usurpantur, differunt vero tanquam genus a specie; omnis *zelfmoord* est *zelfdooding*, sed non omnis *zelfdooding zelfmoord*, sed tum demum quum fiat praemeditato consilio, cum proposito se interficiendi (6); eadem scilicet inter utramque vocem obtinet distinctio, quae inter *dooding* (*manslag*, *homicide*), et *moord* (*assassinat*). *Zelfdoo-*

---

(1) Qua voce, a scriptoribus francicis vulgo recepta, primus usus esse dicitur Desfontaines. (2) Cf. Osiander, über den Selbstmord, seine Ursachen, Arten, med.-gerichtl. Untersuchung und dio Mittel gogen denselbeu, S. 1. (3) Vide N. Allg. D. Bibl. Bd. XXXVI, St. 2, S. 293. (4) Quae vox, licet saepius latiori significatione occurrat, proprio unico de suicidio e conscientia sceleris commisso intelligenda videtur, ut jam monuit van Cloeff, de eo quod exseq. rat. in jure obt. p. 97, Traj. ad Rhon. 1776. (5) Vide aanteek. op de Decis. en Resol. van het hof van Holland, N°. 114, bl. 62. (6) Cf. Krug, Handwörterbuch der phil. Wissenschaften, Bd. III, S. 642.

ding tanquam genus complectitur tres species: *zelfdooding* arctiori significatione, si aliquis sine ullo praemeditato consilio vel se interficiendi proposito prae inscitia et imprudentia caussa mortis sibi fiat; quam speciem scriptores vocare solent *suicidium subtile* vel *indirectum*, *verfijnde zelfmoord*, quam vero potius diceremus *onvrijwillige zelfdooding: zelfopoffering*, quae quidem requirit praemeditatum consilium, non vero cum proposito se interficiendi; sed ita ut nobis persuasum habeamus vitae nostrae discrimine saluti sive patriae sive amici esse prospiciendum, aliorum salutem, officiorum civilium functionem unice respicientibus: *zelfmoord*, quae species vulgo audit *suicidium crassum* vel *directum*, *grove zelfmoord;* quam et novissimam speciem uno nomine complecterer, *vrijwillige zelfdooding* (¹).

Ut de usu vocum sui ipsius interfectionem denotantium, ita de ipsa hujus actionis definitione summa fuit inter eruditos dissensio. Est scilicet autochiria vel suicidium arctiori significatione (*zelfmoord*), *actio*, non *electio*, ut statuerunt ab Oosten de Bruyn (²) et van Cleeff (³), quae vox ad generis suicidii, non

(¹) Cff. N. Allg. D. Bibl. Bd. XXXVI, St. 2, S. 296, Hepp, N. Arch. des crim. Rechts, Bd. XI, S. 289, Ammon, Handb. der christl. Sittenlehre, Bd. II, Absch. II, § 115, S. 7 folg., Algem. Lettervriend 1 Dec. 1842, D. XXVI, Stuk 15, bl. 817. (²) De crim. autoph. c. I, § 4, p. 5, Traj. ad Rhen. 1748. (³) Op. l. p. 88.

vero ad ipsius suicidii definitionem esset referenda; non *flagitium*, ut Reinhardus (¹), Hermannus (²) aliique, suam de suicidio sententiam, ejus improbationem, magis quam definitionem spectantes; est dico *actio*, non *quaelibet*, uti Wolfio (³) videbatur, sed *voluntaria*, *praemeditato consilio suscepta cum proposito se interficiendi.* Excluduntur igitur hac definitione ii, qui insania vel furore ducti, qui febris aliusve morbi aestu sibi non conscii, sibi manus intulerunt (⁴), qui ex intemperantia, libidine vivendi normam a natura praescriptam non secuti sunt, qui, licet fata sua properent, vitam abrumpendi propositum minime fovent; excluduntur etiam qui pro patria, pro amicis morti se devoverunt.

Non erit quod pluribus loquar de ipsius argumenti momento, monuisse sufficiet me unice spectare arctiorem illam vocis suicidii significationem, qua vulgo suicidium crassum vel directum dicitur; quae disquisitio quam late pateat sponte apparet, qunm non tantum doctrinam moralem, verum etiam historiam hnmanitatis, anthropologiam, medicinam, maxime forensem, jurisprudentiam spectet; medicam argumenti partem medicis relinquens, juridicam et moralem pro viribus expo-

(¹) Disp. phil. de m. vol., opusc. acad. vol. I, p. 72 ed. Poelitz., Syst. der Christl. Moral, § 133, S. 581. (²) Op. l. p. 4. (³) Jur. nat. P. I, c. 2, § 354. (⁴) Cf. Ammon, l.l. p. 8.

nam; in cujus disquisitionis, quam bipartitam esse volui, priore parte historiae ordinem secundum populorum diversitatem sequar tanquam optimam divisionis normam.

PARS I.

DISQUISITIO HISTORICO-JURIDICA DE MORTE VOLUNTARIA E SINGULORUM POPULORUM MORIBUS, INSTITUTIS, LEGIBUS.

De jure Hebraeo.

Quo propius ad naturalem hominis statum accedamus, quo altius disquisitionem repetamus, eo minora suicidii vestigia deprehendimus. In legislatione Mosaica ceterisque antiquioribus Hebraeorum monumentis nullam legem invenimus, quae vel suicidio faveat vel illud dissuadeat; corpora vero eorum qui mortem sibi consciverant more solito humabantur et testamenta salva manebant ([1]). Decalogi praeceptum, *non occides*, quod patres ecclesiae certatim attulerunt ut mortem volunta-

([1]) Jud. c. 16, v. 31, Sam. II, c. 17, v. 23. Cf. Michaëlis, Mos. Recht, VI, § 272.

riam etiam veteri codice sacro reprobari ostenderent, non suicidium sed homicidium tantum spectat. Ex quo silentio, licet temere statueremus Hebraeos suicidium his temporibus prorsus ignorasse, hoc saltem apparet tam rarum illud fuisse, ut remedio malum indigere non videretur; sed erat Hebraeis longe firmius legibus praesidium, antiqua morum simplicitas, cultus divinus a majoribus receptus, in quo ut nullus populus magis steterunt; et sane, si Simsonis (1), Saulis ejusque armigeri (2), Achitophelis (3), Simrii (4) mortes voluntarias excipias, antiquis illis temporibus apud Hebraeos suicidii exempla frustra quaeres; de Simsone, de Saule adeo, merito dubitari queat an vere suicidae dicendi sint; ille enim, de cujus morte scriptores diversa judicia tulerunt (5), ut patriae prospiceret certam mortem oppetiit; hic vero, ensi vitae pertaesus incumbens, non sua sed Amalecitae manu cecidit; Achito-

---

(1) Jud. c. 16, v. 31. Cff. Josephus, Arch. V, c. 8, § 12, August. de C. D, I, 21. (2) Sam, I, c. 31, v. 4 sq., II, c. 1, v. 9 sqq. Cf. Jos. Arch. VI, c. 14, § 7. (3) Sam. II, c. 17, v. 23. Cff. Gussetius in comm. ling. Ebr. p. 273, Swartius, diss. II de morte Achit., c. 3, ab Oosten de Bruyn, op. l. c. II, § 4, p. 58 sqq. (4) Reg. I, c. 16, v. 18. (5) Cff. Maichelius, factum Simsonis ab αὐτοχ. crim. vind., § XX, p. 26, Heddenhausen, de moral. fact. Sims., § 12 sqq., § 19, Clericus in comm. ad Jud. l.l., Walchius, tit. *Selbstmord*, p. 2367, Donne, βιοθ. p. 172, Marckius, fasc. diss. phil. exeg. p. 230, Gerhard, de lege Dei, p. 329.

phel ut summum supplicium, Davidis vindictam, fugeret, Simrius e conscientiae cruciatu mortem sibi conscivit. — E nullo sane in veteri codice loco suicidii reprobatio magis elucet quam ex Jobi historia. Jobus fortuna adversa ad incita ita adactus, ut ejus miseriae in proverbium adeo abierint, bonis liberisque amissis, licet die infortuniis, nocte somniis et visis exagitaretur, restitit precibus uxoris, quae eum ut Dei cultum desereret admonuerat (1), et in dubio hoc certamine inter mortis spem Deique reverentiam victor evasit, sibi persuasum habens Deum brevi una cum morte his miseriis finem impositurum (2).

Commercium cum aliis populis, Macedonum, Syrorum maxime dominatio Hebraeorum nocuit morum simplicitati. Ab hoc inde tempore, quum Antiochus Epiphanes, deleto templo Hierosolymitano, venale reddidisset Pontificis munus, Hebraeos vero, crudelissime in eos saeviens, ad graecos deos colendos cogeret, antiquis moribus, patrio cultui interitum adeo minitaretur, invalescere coepit mors voluntaria, quam specioso nomine vocarunt εὔλογον ἐξαγωγήν (3), et in dies adauctus est suicidarum numerus. Existimabant scilicet Hebraei his infelicissimis temporibus aliquem e praesumta Dei voluntate agere et caussam justam esse nactum, si se interficeret simulac videret sibi dein-

---

(1) Job. c. 2, v. 9. (2) Job. c. 7, in primis a v. 13. Cff. Sal. Prov. c. 19, v. 8, c. 24, v. 8. (3) Vide Grotium, de J. B. et P. Lib. II, c. XIX, § 5.

ceps vivendum esse in Dei probrum [1]. Talis pro religione patria devotionis exempla in Hebraeorum historia, Maccabaeorum in primis aetate, plura occurrunt; Eleasarum [2], Rhazin, qui intestina sua hostibus projecit [3], exempla septem fratrum, qui cum matre pro cultu patrio gravissima supplicia et tormenta tulerunt [4], Hebraearum mulierum, quae, parvulis suis circumcisis, ab alto se praecipitarunt [5], Phasaëlum [6] in memoriam revocasse sufficiet. Hebraei igitur, licet universe improbarent mortem voluntariam, ut cum ex iis quae monuimus, tum ex eorum sententia, suicidas in inferis locum manere tenebris offusum [7], apparet, mortem sibi consciscere, cruciatus vehementissimos perferre quam paterna sacra deserere malebant. Haec Hebraeorum indoles, haec pertinacia conspicua fuit eo tempore quo Romani Hierosolyma, Joppam [8], maxime vero

[1] De vi et momento hujus caussae diversa lata sunt inter recentiores judicia; eam probavit Thomasius, Jurispr. div. Lib. II, c. 11, § 74, improbarunt Simon, de jure hom. circa sua membra in Ejus Praes. Acad. Diss. II, p. 81, ab Oosten de Bruyn, op. l. p. 45. Cf. Barbeyracius ad Puff. opus, le droit de la nat. et des gens, L. II, ch. 4, § 19, Tom. I, p. 287, not. 3. [2] Macc. II, c. 6, v. 18 sqq. [3] Macc. II, c. 14, v. 37 sqq. Cf. August. epist. 204, opp. Tom. I, p. 583, cont. Gaud. I, 31, Tom. IX, p. 444 sqq. [4] Macc. II, c. 7. [5] Josephus, Macc. c. 4. [6] Josephus, Arch. XIV, c. 13, § 10, de B. J. I, c. 13, § 10, qui Phasaëli mortem summis laudibus effert. [7] De B. J. III, c. 8, § 5: ὅσοις δὲ καθ' ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὲν ᾅδης δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτιώτερος. [8] De B. J. III, c. 9, § 3.

Jotapatam obsidione cinxerunt; in qua urbe quum obsessi in summas angustias adducti essent, Josephus iis suadere conatus est ut Romanis potius se traderent quam manus sibi inferrent; quod Josephi consilium felici successu adeo caruit, ut eum interfecissent, nisi mutato consilio iis persuasisset ut, sortibus ductis, mutuis caedibus se interficerent, ex quibus praeter Josephum unum tantum superstitem fuisse novimus ([1]).

Apud Josephum memoratur ignominiosum in suicidarum cadavera supplicium, quo ad solis occasum insepulta relinquerentur; quum vero hujus ignominiosae sepulturae neque in sacro codice neque apud scriptores Josepho aetate majores ulla mentio fiat, continuo oboritur quaestio an apud Hebraeos unquam viguerit, an vero e cerebrina Josephi aequitate prodierit; quae quaestio, jam a Pastoreto ([2]) proposita, ab eo ita soluta est ut ullam poenam apud eos receptam fuisse negaret; mihi quidem probabilior videtur contraria sententia. Josephus ([3]) enim non tantum diserte loquitur de consuetudine quae apud populares suos invaluerat: τοὺς γοῦν ἀνελόντας ἑαυτούς, παρὰ μὲν ἡμῖν, μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους ἐκρίπτειν ἔκριναν, καίτοι καὶ πολεμίους θάπτειν θέμιτον ἡγούμενοι· sed opponit eam adeo consuetudini graecae, qua suicidarum dextra abscindi solebat. Praeterea,

([1]) De B. J. III, c. 8, § 4 sqq. ([2]) Hist. de la législ. Tom. IV, p. 184. ([3]) De B. J. III, c. 8, § 5. Cf. Hegesippus, de excid. Hier. III, 17.

quum jus canonicum ignominia quoque afficiat suicidarum cadavera, illud non Graecos sed Hebraeos secutum esse veri simile est; quod vero antiquiora Hebraeorum monumenta de hac poena ne verbo quidem loquantur, inde repeto quod ipsa poena adventitia, e Graecia sub Syriae regum dominatione in Palaestinam translata esse videatur.

Hodie Judaeis propter leges politicas suicidarum cadavera aliqua poena plectere non licet; servarunt tamen ritus suos religiosos, quibus suicidae cognatis proximis per triginta dies barbam tondere, balneo uti, vestem mutare, per septem dies defunctum lugere, interdictum erat.

De jure Graeco.

Prouti apud Hebraeos ita quoque apud Graecos vulgaris opinio suicidio non favisse illudque tantum admisisse videtur, si justa caussa adesset, quod voluntariae mortis genus vocarunt *εὔλογον ἐξαγωγήν*. Quum vero Graeciae gentes, e diversis stirpibus ortae, pro cultus morumque varietate non uno modo de suicidio sentirent, ita quoque apud singulas institutorum sive legum quibus suicidium concederent vel coërcerent magnum discrimen cernitur.

Apud Ceos senes, vitae finem non exspectantes, anteaquam vires deficerent senectutisque infirmitatibus laborare inciperent, papavere vel cicuta (1)

(1) Heraclides, Excerpt. Polit. p. 986 ed. D. Heins. Cf.

vitae finem imponebant coronati, cognatis advocatis velut ad convivium vel solemne sacrificium; quem morem cum alii tum maxime Menander [1] praedicarunt. Neque mos ille Ceus ex insula Creta ortum duxit, ut Muellero [2] placuerat, vel e metu invaluit, ne victus quotidianus ceteris deficeret nisi omnes qui sexaginta annos superassent diem supremum veneno obirent, ut statuerat Bröndsted [3] in errorem inductus a Strabone [4], Stephano Byzantino [5] et Aeliano [6], qui ipsi hunc Ceum morem cum plebiscito, quod a Ceis quum ab Atheniensibus obsidione cingerentur latum fuisse fertur, confuderunt; sed, uti rite monuit Boeckhius [7], huic voluntario e vita discessui inerat aliquid ἐπιδεικτικόν, pompae simile, Ceorum originem e Locris Opuntiis, qui fortitudine legumque obsequio inclaruerunt, optime referens; in memoriam revocemus mulierem illam quae in media felicitate, veneno sumto, mortem sibi conscivit, ne forte in adversam fortunam incideret, et ne Pompeji adeo precibus se a proposito deduci passa est [8]. Boeckhii senten-

---

Welcker, Rhein. Mus. für Phil., Jahrg. I, 1833, S. 614, N°. 264. (1) Fr. 135 (Strab. X, p. 745 ed. Alm).

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐςι, Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς οὐ ζῇ κακῶς.

(2) Dor. II, 226. (3) Reisen in Griechenland, Th. I, S. 79. (4) l.l. (5) Voce Ἰουλίς. Cf. Berkelius ad h. l. (6) V. H. III, 37. Cff. Fabr. ad Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. Libr. III, § 210, p. 179 sq., Scaliger, conj. in Varr. p. 118. (7) Berl. Jahrb. 1827, I, S. 16 folg. (8) Val. Max. II, c.

tia in primis confirmatur simili consuetudine apud Massilios, qui ex heroica et bellicosa Phocaeorum, Locrorum accolarum et vicinorum, stirpe orti erant. Apud Massilios, qui Ceos cultu et humanitate longe superabant, constitutum erat concilium sexcentorum virorum, qui venenum servarent iisque demum distribuerent, qui justam e vita recedendi caussam attulissent ([1]). Mos ille Ceis cum plerisque populis antiquis heroica maxime aetate communis fuit, ortus e vulgari populorum barbarorum et bellicosorum sententia, viro, multis et praeclaris factis in acie peractis, turpe esse domi interire, morbo, debilitate, senectute confecto. Similem morem invenimus apud Taprobanenses ([2]), Indorum Gymnosophistas ([3]), Herulos, Danubii accolas, apud quos uxoribus, nisi se una cum maritis senectute morbove correptis jugularent, perpetuae ignominiae nota inurebatur ([4]), hodieque etiam apud nonnullas Americae gentes, quae debiles, aetate morbove confectos obtruncare solent. Hinc Troglodytae, populus Aethiopiae vicinus, ab eo qui in communem utilitatem aliquid conferre non amplius queat vitam diligi maximum malorum arbitrabantur, eosque qui, ingravescente senio, infirmitatibus, morbo insanabili laborantes greges

6, ex. 8. Cf. Bayle, Dict. Hist. et Crit. Art. Zia, note C. ([1]) Val. Max. II, c. 6, ex. 7 et 8. Cf. Petr. Hendreichii Mass. II, apud Gron. Thes. Ant. Gr. Tom. VI, p. 2960 sq. ([2]) Diod. Sic. Bibl. Hist. II, 57. ([3]) Philo Judaeus in libro de Abrahamo, Tom. II, p. 26 sq. ed. Mang. ([4]) Procop. de B. Goth. II, 14.

assequi non amplius poterant, cauda bovis collo injecta nodoque in vertice arcte constricto, e vita solvebant (1). Hinc apud populos Hyperboraeos, apud Scandinaviae incolas senes e satietate vitae ab alta rupe in mare saliebant, ut morte conscita se vel a turpi captivitate vel a senectutis molestiis liberarent (2). Eodem hoc fortitudinis et pudoris sensu ductae et excitatae integrae gentes et civitates ne in hostium manus inciderent certae morti se devovebant; notissima sunt exempla Cappadocum (3), Cretensium (4), Xanthiorum (5), Saguntinorum (6), Numantinorum (7), Norbanorum (8), Cantabrorum (9), Astapensium (10), Carthaginiensium (11).

Uti Massiliae ita quoque Athenis autochiria sub certis conditionibus concedebatur, modo is qui moriendi consilium fovebat senatui aut mutilatum corpus aut morbum medicina majorem aut orbitatem aut omnium facultatum jacturam probasset (12);

---

(1) Cff. Agatharcides, Excerpt. Hist. c. 30, in Photii Bibl. p. 1359 ed. Andr. Scholti et Diod. Sic. B. H. III, 33, qui tamen eo ab Agatharcide discrepat, quod non alios iis vitam ademisse, sed ipsos sibi mortem conscivisse contendat. Cf. Joh. Boem. Aubanus, de omn. gent. mor. legg. et rit. L. I, c. 6, p. 66 sqq. (2) Plin. H. N. IV, 26. (3) Just. Hist. Phil. XIII, 6. (4) Flor. Epit. R. R. III, 7. (5) Plut. in Bruto, p. 998 E, F. (6) Livius, Hist. XXI, 14. (7) Appian. de reb. Hisp. c. 93 sq., Flor. II, c. 18, § 14 sqq., Liv. Epit. Lib. LIX. (8) Appian. de B. C. I, 94. (9) Flor. IV, c. 12, § 50. (10) Liv. XXVIII, 22, 23, Appian. de reb. Hisp. c. 33. (11) Flor. II, 15, Appian. Pun. circa fin. (12) Libanius, Decl. X, p. 369: Δεῖξον, φησί (ἡ βουλή), τὸ σῶμα λελω-

quod institutum, non, ut Wesselingio (1) placuit, Sophistarum commentum, sed morem illum, qui vulgo dicitur Ceus, cujus severitatem major cultus, morum mansuetudo sensim paulatimque mitigaverat, Libanius ad utilissimas leges a Solone latas refert (2). Institutum illud, quod ex Asia Athenas migrasse, gentique Ionicae cum Phocaeensibus commune fuisse videtur, repeto e vulgari Graecorum sententia hominem in vita velut in statione vel custodia esse positum, a qua pro libitu discedere non liceat; cujus liberationem Graeci singulari verbo ἀπολύεσθαι significabant (3). Hinc illa venia magistratus, quam philosophi, maxime Pythagorei, Socrates et Plato, licet in eorum quoque de morte voluntaria sententia nonnulla hujus moris vestigia remanserint (4), deinceps impro-

---

βημένου ἢ ὅ τι νόσημά σε κατέχον ἰατρικῆς μεῖζον, ἢ τοὺς παῖδας ἀπολωλεκώς, ἢ τὴν οὐσίαν ὅλην. (1) In annott. in Petiti Legg. Att. L. VII, tit. 1, § 19. (2) Decl. VIII, p. 339: Συμφορώτατον ἁπάντων τοῦτον (τὸν νόμον) ἔγραψεν, ὃν νῦν ἔχων ἀφῖγμαι σύμμαχον. ὅςις, φησί, βαρύνῃ τὸ ζῆν, ἀπόθνησκε· περικλύζῃ κακοῖς, πίνε κώνειον· πιέζῃ συμφοραῖς, ἄπιθι· λεγέτω μὲν ὁ δυστυχῶν τὰ πάθη· διδότω δὲ ἡ βουλὴ τὸ φάρμακον, λυέσθω δὲ ἡ λύπη τῷ θανάτῳ et Decl. XII, p. 390: Παραινέσαιμι δ᾽ ἂν ἐπιτρέψαι μοι χρῆσθαι τοῖς παρὰ τοῦ νόμου, ὅςις φησί· τὸν οὐκ ἐθέλοντα ζῆν, πρὸς τὴν βουλὴν τοῦτο εἰπόντα, τυχόντα τῆς χάριτος, ἀπελθεῖν. Cff. Meursius, Them. Att., I, 19, opp. omn. Tom. II, p. 53 ed. Flor. 1744, qui tamen, Libanii loca afferens, nihil monet de eorum fide. (3) Cf. Grotius de J. B. et P. II, c. 19, § 5. (4) Cff. quae monui περὶ τῆς εὐλ. ἐξαγ. p. 341 sq.

barunt, quum soli Deo hanc omnium vinculorum liberationem concederent. — Nonnullis fortassis commentitia loqui videbor, qui mihi opponent leges apud Graecos constitutas quibus suicidium coërceretur; Athenis amputationem manus, quae caedem perpetraverat, ut seorsim sepeliretur ([1]); Thebis combustionem quidem cadaverum sui ipsius interfectorum, sed cum contemtu, ut ita sepultura prohiberentur et infamia notarentur ([2]); in insula Cypro legislatricis Demonassae legem, qua statutum erat, ut qui semet occidisset insepultus abjiceretur ([3]); sed his jure respondere posse mihi videor, Solonis saltem legem restringendam esse ad eos casus qui in hanc magistratunm veniam non caderent, ita quidem ut, qui justam e vita abeundi caussam esset nactus et a magistratu veniam impetrasset, is post mortem neque infamia notare-

---

([1]) Aeschines adv. Ctes., Vol. III, p. 636 sq. ed. Reisk.: Ἐάν τις αὑτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν. Rationem legis affert Josephus de B. J. III, c. 8, § 5: Παρ᾽ ἑτέροις δέ, καὶ τὰς δεξιὰς τοιούτων τῶν νεκρῶν ἀποκόπτειν ἐκέλευσαν, αἷς ἐςρατεύσαντο καθ᾽ ἑαυτῶν, ἡγούμενοι, καθάπερ τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς ἀλλότριον, οὕτω καὶ τὴν χεῖρα τοῦ σώματος. Ex quo loco hanc dextrae amputationem apud alias quoque gentes moris fuisse apparere videtur. ([2]) Zenobius, Cent. VI, Prov. 17: Φασὶ δέ, ὅτε ἐν Θήβαις οἱ ἑαυτοὺς ἀναιροῦντες οὐδεμιᾶς τιμῆς μετεῖχον· καὶ Ἀριςοτέλης δέ φησι περὶ Θηβαίων τὸ αὐτὸ τοῦτο ὅτε τοὺς αὐτόχειρας ἑαυτῶν γινομένους οὐκ ἐτίμων. Cf. Alex. ab Alex. gen. dier. Lib, V, in fine. ([3]) Dio Chrys. orat. LXIV, p. 328 ed. Reisk.

tur neque dextrae amputatione plecteretur: sin vero minus, propter ignaviam et timiditatem poenas daret. Neque existimandum Libanium tam aperte de Solonis lege locuturum fuisse, nisi tum quidem ejusmodi lex fuisset; quod si vero lege prohibitum fuisse fingerem, ne quis sibi mortem consisceret ne ob justam quidem caussam, temere item fecisse philosophos statuerem, qui publice in scholis caedem sui ob certas caussas suaderent. Ne hic aliquis mihi rursus objiciat levitatem et inconstantiam Atheniensium, qui ab Aristophane deos derideri sinerent, quorum ob contemtum in Socratem graviter animadverterunt, illud item observem, philosophorum de suicidio sententias, leges, quas in scriptis suis finxerunt ut mortem sibi inferendi insania coërceretur, proposita distinctione inniti; primum quidem quod philosophi ad unum omnes justas mortis sibi consciscendae caussas admittebant; deinde quod Plato, Atheniensium in suicidas leges mitigans, unice constituit, ut quicunque ex ignavia vel animi imbecillitate se interemisset loco deserto, ubi alius nemo condi solebat, sine statua vel nominis inscriptione sepeliretur, et diserte eos excepit qui ob aerumnas intolerabiles vel morbum insanabilem violentas manus sibi intulissent ([1]); quod denique Aristoteles quoque suicidam demum propter injuriam in civitatem commissam puniendum et ignominia afficiendum esse censuit ([2]).

Supplicium excogitatum ut virgines Milesiae e

([1]) De Legg. IX, p. 660 C ed. Fic. ([2]) Eth. ad Nic. V, 15.

pudoris sensu se a sui ipsius nece abstinerent, quo cadavera earum quae se suspenderant nuda per forum cum eodem laqueo, cui essent praevincta, efferebantur, temporarium et extraordinarium remedium tantum dici potest ([1]); quod exemplum posterioribus temporibus maxime inclaruit, quum recentiores, quicunque suicidium poenis coërcendum esse statuerent, eo uterentur ut suam sententiam firmarent, neque reputarent, quum haec se interficiendi insania e certis caussis videatur repetenda, ut Plutarchus opinatur ex aëris contagione, his caussis cessantibus, etiam sine poena earum effectum sponte evanidum factum iri.

Ratio poenarum a Graecis in suicidarum cadavera constitutarum haec erat: maxima iis, ut universe veteribus, imprecatio erat, *ἄταφον ἐκπίπτειν χθονός* ([2]), quum unice eorum animas in fortunatorum insulas migrare crederent, qui pie probeque vitam degissent justisque exsequiis terrae essent mandati ([3]); hinc Romanorum adeo Imperatorum

---

([1]) Plut. de virt. mul. p. 249 B, C, Gellius, N. A. XV, 10. ([2]) Cf. Potterus, Arch. Gr. L. IV, c. 1 (Gron. thes. vol. XII, p. 535 sqq.). Hinc quoque Euripides, Suppl. v. 378, honestam sepulturam vocat *νόμον βροτῶν*, Lysias, *ἐπιτ. τοῖς Κορ. βοηθ.* p. 64 ed. Reisk. *κοινὴν ἐλπίδα*, Tacitus, Ann. VI, 19, *sortis humanae commercium.* ([3]) Cff. Hesiod, *ἔργ. καὶ ἡμ.* v. 169 sqq.; Strabo, Geogr. III, p. 223 C, D, 224 A ed. Alm., D. L. VI, § 39 ibique Men., Plut. ad Apoll. p. 120 F, 121 A. De animabus pravis et non purgatis Plato in Phaed. p. 386 C ed. Fic.: *βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, — ὥσπερ λέγεται, περὶ*

aetate Byzantii locus fuisse fertur, in quem suicidarum cadavera insepulta conjiciebantur ([1]). Vetustissimi Graeci credebant ignem, tanquam purissimum elementum, contaminari, si eum, qui sibi ipse manus intulisset, cremarent, eumque familiae monumento inferre nefas esse ducebant ([2]); quam opinionem vulgarem et antiquissimam fuisse testantur exempla illustrissima Ajacis, Telamonis filii ([3]), Maeonis, Thebanorum regis ([4]), Aristodemi, qui, licet omnium testimonio in pugna Plataeensi fortissime pugnasset, solus inhumatus jacuit, quod infamiam quam ad Ther-

---

τά μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη. — Sic etiam auimae eorum qui violenta morte perierant; unde νεκρομάντεις, qui animas de futuris consulerent, in sepulcris pernoctare solebant. Vid. Elsnerus ad Matth. VIII, 28. Credebantur scilicet illae animae reliquias sordium antiquarum retinere, qua de re Galeus ad Jambl. Myst. II, 5, p. 210; hinc quoque legumlatores prudenter ista persuasione in rem suam utehantur, ne bomicidia tuto ac facile committerentur; quo in argumento pulcre versatur Warburton, Mois. Div. Leg. L. II, p. 368. ([1]) Cedrenus, Annal. p. 602, 607 ed. Xyl. ([2]) Cff. Meursius, de fun., c. 13, opp. omn. Tom. V, p. 316 sq. ed. Flor., Kirchmannus, de fun., L. I, c. 3, p. 20, et in appeud. c. 8, p. 641 sqq., Quenstedius, de sepult. vett., c. 3 (Gron. vol. XI, p. 1216). ([3]) Philostratus, Heroic. c. XI, § 3, p. 721 ed. Olearii: ἔθαψαν δὲ αὐτὸν καταθέμενοι ἐς τὴν γῆν τὸ σῶμα, ἐξηγουμένου Κάλχαντος, ὡς οὐχ ὅσιοι πυρὶ θάπτεσθαι οἱ ἑαυτοὺς ἀποκτείναντες. Cff. Boissonnade ad b. l. et Pbilost. Iconum, II, 31, p. 856. ([4]) Statius, Theb. III, v. 97 sq.

— Vetat igne rapi, pacemque sepulcri
Impius, ignaris nequidquam manibus arcet.

mopylas contraxerat, quum solus commilitonibus superesset, suo sanguine litare jam dudum apud se statuerat ([1]). Recentioribus adeo temporibus apud Graecos viguit opinio excommunicatorum corpora non putrescere ([2]).

De jure Romano.

Romani a primis inde rei publicae temporibus suicidium numquam moraliter turpe vel crimen esse duxerunt et temporaria quidem remedia in singularem casnm, numquam vero communem quandam legem, quae suicidium coërceret, constituerunt. In suicidii apud Romanos historia antiquissima constitutio est Tarquinii sive Prisci ([3]) sive Snperbi ([4]), qui quum cloacas facere populum coëgisset, multi vero ex hujus laboris taedio se suspenderent, novum et incognitum antea invenit supplicium, quo defunctorum cadavera

---

([1]) Herodotus, Hist. IX, 71. ([2]) Cf. Dufresne, gloss. med. et infim. lat. Tom. II, P. II, p. 26, voce *imblocatus.* ([3]) Ut contendunt, Plinium, H. N. XXXVI, c. 24, § 3, secuti, Gesnerus in Chrest. Plin. c. 128, not. 7, p. 1049, Jen. 1723, M. Stuartus, Rom. Gesch., D. I, h. 7, bl. 416, Waechterus, Revis. der Lehre vom Selbstm., im N. Arch. des crim. R. X, N° IV, S. 90, quae sententia probabilior mihi quoque videtur. ([4]) Servius, ad Virg. Aen. XII, v. 603, qui hanc sententiam tuetur, provocat ad Cassium Heminam, historicum antiquum, de cujus tamen testimonii auctoritate, ipsius scriptis deperditis, judicare non licet.

crucibus figeret, spectanda civibus simul et feris volucribusque laceranda. Lex haec constituta erat non in suicidium, sed in transgressionem muneris a rege mandati, ad quod populus se quasi auctoraverat, et in ipsum suspendium, suicidii genus probrosum Romanis, qui, quum mortem voluntariam tanquam fortitudinis specimen commendarent, non ipsam suicidae actionem, sed illud tantum suicidii genus, quod ignaviae speciem prae se ferret, improbabant et ignominiosum esse censebant ([1]); quod historia testatur, quum fere omnes Romani, qui mortem sibi consciverunt, ferro, resecatis venis, veneno, inedia interierint ([2]); hinc quoque in pontificalibus libris cautum fuisse dicitur, ut qui laqueo vitam finiisset insepultus abjiceretur: „Suspendiosis", ait Varro, „quibus justa fieri jus non sit, suspensis oscillis, velut per imitationem mortis parentari ([3])". Hanc legem non ad omnes suicidas pertinuisse, ut Winckleri ([4]) conjecturam secutus, Hermannus ([5]) statuerat, ex Attici funeribus maxime apparet, qui, quum inedia mortem sibi conscivisset, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia,

---

([1]) Livius, Hist. XLII, 28, Q. Fulvium Flaccum, quem mane ingressi cubiculum laqueo dependentem servi invenerant, *foeda morte* periisse tradit; Servius l.l. ipsum laqueum vocat *informis lethi quasi mortem infamissimam.* Cf. Plin. H. N. II, 63. ([2]) Cf. Tzschirner, Leben und Ende merkw. Selbstm., S. 7. ([3]) Servius, l.l. ([4]) p. 29, 36. ([5]) p. 16.

solenniter juxta viam Appiam in monimento avunculi sui sepultus est ([1]). Videtur adeo haec poena, a Tarquiniis fortassis e Graecia Romam translata, libera re publica in desuetudinem abiisse; ut enim de ea Servins loquitur tanquam de re praeterita, ita D. Silanum, T. Manlii Torquati filium, qui se suspenderat, solenniter sepultum esse constat ([2]). Ne quem moretur locus Virgilii ([3]), qui de ignominiosa in inferis sede, quae suicidas maneret, locutus est; hic enim minime pingit Romanorum de suicidio sententiam, sed ut tota Aeneïs, ita quoque hic locus Homeri Odysseae ([4]) imitationem spirat; Virgilius hoc adeo loco non improbat suicidium, sed unice ignaviam eorum qui, ne pauperiem laboresve duros perferrent, manus sibi intulerant.

Libera re publica et sub primis Caesaribus ad Hadriani usqne aetatem suicidium, quamvis a reo vel capitis damnato perpetratum, non sequebatur bonorum publicatio, quinimo illud tanqnam remedium, in primis imperantibus Tiberio et Nerone, rei frequentabant, ut publicationis poenae se subducerent, ignominiam, turpem et inhonestam mortem fugerent ([5]) liberisque hereditatem salvam relinquerent, quod diserte Tacitus ([6])

([1]) Nepos, in vita Att. c. 22. ([2]) Val. Max. V, c. 8, ex. 3. ([3]) Aeneid. VI, v. 434 sqq.; quem locum imitando expressit Dantes Alighieri, Inferno, cant. XIII. ([4]) λ, 488—490. ([5]) Tac. Ann. V, 7, VI, 48, XIII, 30. ([6]) Ann. VI, 29. Cff. Val. Max. IX, c. 12, ex. 7, Tac. Ann. XVI, 17.

memoriae prodidit: „ Promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat: et quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi ([1])". Quum Romani tristissimis illis temporibus bonorum possessionem prae vitae pretio aestimarent, nonnulli adeo, ut Coccejus Nerva ([2]), integro statu, illaeso corpore, metu futurae capitalis criminis accusationis manus sibi consciscerent, Hadrianus ut huic malo, quod una cum Imperatorum crudelitate et arbitrio in dies augebatur, occurreret, ut Imperatoris dignitatem, legis et fisci auctoritatem simul vindicaret, instituisse videtur publicationem bonorum, non tanquam poenam suicidii, sed tanquam legis vindictam vel politicum remedium quo ipsi Imperatores dignitatem suam tuerentur ([3]), tanquam poenam quae crimen necessario consecuta esset, si reus in vivis mansisset; res igitur eo deducebatur, ut, donec heredes contrarinm probassent, mortuus accusatus pro vivo crimine convicto, suicidii vero nulla ratio haberetur ([4]).

([1]) De contorta Hermanni, op. l. p. 16 sq., hujus loci interpretatione vide Waechterum, op. l. p. 92 sqq. ([2]) Tac. Ann. VI, 26. ([3]) Immanissimus adeo Tiherius, quum Coccejus Nerva mortem sibi conscisceret, grave conscientiae, grave famae suae fore censebat, si proximus amicorum, nullis moriendi rationihus, vitam fugeret; Tac. Ann. l.l. ([4]) Contrarium censent Wincklerus, p. 18 sq., 30, Hermannus, p. 17 et 19. Ex antiquiorihus interpretihus rem accuratissime cxposuit Bynkershoekius, Obss. Jur. Rom. L. IV, c. 4, p. 345 sq.

Huic interpretationi ab iis qui Romanos opprobrio suicidas affecisse contendunt, in primis a Crellio (¹) et Hermanno (²), opponuntur cum Quinctiliani declamationes, tum hic Dionis Cassii (³) locus: Τοὺς τοιούτους (τοῦ θανάτου καταφρονοῦντας) ὡς καὶ κακὸν ἄν τι ὑπ' ἀνοίας τολμήσαντας, καὶ ὑποπτεύουσι πάντες, καὶ μισοῦσιν. Verba sunt Q. Fufii Caleni in Ciceronem ejus adversarium, ut eum rideret quod mortem aliquando vitae esse praeferendam, τεθνᾶναι μᾶλλον ἢ ζῆν ἕλεσθαι, statuerat; quae igitur verba, unice e fervore orationis et aegrimonia in Ciceronem prolata, nostram sententiam minime infirmant. Majorem vero probabilitatis speciem prae se ferunt ea quae Quinctilianus prodit, eum qui, in Senatu caussis non redditis (⁴) vel non probatis (⁵), manus sibi intulerit, insepultum esse abjiciendum; de quibus locis quid statuendum sit paullo uberius exponamus. Wincklerus (⁶) adeo, licet omni tempore Romae sepulturam suicidis denegatam fuisse contenderet, has declamationes scholasticam fictionem, omni historica fide destitutam, esse censebat; quam sententiam postea confirmavit Waechterus (⁷), comparatis legibus manifesto fictis ex aliis declamationibus et notissimo Va-

---

(¹) § 6. (²) p. 33. (³) XLVI, 28. (⁴) Decl. IV. (⁵) Decl. CCCXXXVII. (⁶) p. 37. (⁷) Op. I. N° XI, p. 261 sqq., cui adstipulatur Falck, Beitr. zur Lehre vom Selbstm. N. Arch. des Crim. R. XI, N° VI, S. 143 f.

lerii Maximi (¹) loco, quo de consuetudine vel lege singulari apud Massilios, a Romanis moribus recedente, loquitur; quibus addendus Taciti, qui iisdem temporibus vixit, locus, quo diserte suicidarum cadavera sepelienda esse tradit (²); quae loca omnia his declamationibus, sive Quinctiliani oratoris sive ejus patris vel avi sive alius cujusdam eas dixeris, opposita sunt. Waechteri argumentatio quoad summam rei vera mihi videtur, non vero ea, quae totam rem conficiat. Alludit scilicet auctor harum declamationum, si quid video, ad miseram sui temporis conditionem; tota illa quarta declamatio ingeniosa quaedam satyra est, qua sub tecta quadam specie immanitas Imperatoris exagitatur. Imperatorem sub patris, civem Romanum, qui veretur ne parricidii (³) reus fiat, sub filii persona cogitemus, in singulis fere verbis acerbae ironiae vestigia deprehendemus (⁴). Inducitur mathema-

---

(¹) L. II, c. 6, ex. 7 et 8. (²) Ann. VI, 29. (³) Hanc interpretationem juvat etiam ambigua vocis *parricidae* significatio, qua saepius de laesae majestatis reo vel patriae proditore, universe de gravissimis criminibus, dicitur, ut apud Cic. de Legg. II, 9, e legibus XII Tabularum: *sacrum sacrove commendatum qui cleperit rapsitque, parricida esto;* apud Sallust. Cat. c. 31 Catilina, apud Tacit. Hist. I, 85 Vitellius *hostes* et *parricidae* vocantur. Idus denique Martiae ab interfecto hac die Caesare Senatus consulto *parricidium* dictae sunt, Suet. in Caes. c. 88. (⁴) Potiora notasse sufficiet: *Senatus praedictae veritatis ordo; facinus quod sibi pro me pietas patris quodque singulorum*

ticus, astrologus vel vates, qui patri seni, dum filius adhuc in utero est, praedicit eum primum praeclaris facinoribus gloriam esse consecuturum, deinde parricidam vel parricidii reum esse futurum. En vides plerorumque Romanorum exitum, qui, postquam praeclara facinora peregerant, ad summam in civitate dignitatem pervenerant, continuo majestatis rei fiebant et, nisi ipsi veneno, ferro aliave ratione vitae finem imponerent, clam vel aperte e medio tollebantur. Sed quorsum illa mentio caussarum ad Senatum delationis, sepulturae denegationis, nisi eâ quoque Imperator ejusque consilia notari videantur? Visa mihi quidem est publicatio illa bonorum ejus qui ob criminis conscientiam mortem sibi consciverit, cujus institutionis **Hadrianus** auctor fuisse videtur, non ex

---

innocentia rogat; securi estote de aviditate summae potestatis; sive hoc est sepulturae suae magna reverentia, pessimeque additae pectoribus humanis infirmitates, ut esset quod timeret, qui non timet mortem, sive cet.; parentibus circa liberos unus affectus est, favere vitae, timere mortem; inter supplicia licet poenasque omnes tamen illis innocentes, omnes miseri sumus; parricidium dictus sum facturus: si possum posthac vivere, non sum innocens, etiamsi non fecero. Notemus et hunc paullo longiorem locum: *homo sum-praedicitur. Sentit pater quanta sit praedicti sceleris immanitas; virum fortem dixit et parricidam. Vicina sunt haec, etiam ut dissimilia: paria viribus, etiam ut mente dissentiant; non sustineo eosdem expetere convictus, ne quos porrexeram cibos, venena fiant; omne fugio secretum, ne quid fortuna, ne quid afferat casus: adjuvate dextrum, deprimite telum et ante omnia detinete patrem.*

improviso inducta; sed Imperatores, quum innumeris suicidiis, eorum maxime qui, ut Coccejus Nerva, metu futurae accusationis integro statu sibi manus inferrent, suam dignitatem et majestatem maxime imminui vel infringi, suam etiam sanguinis tormentorumque sitim non satis expleri viderent, diu jam cogitasse videntur quibus remediis huic libidini, huic omnium suppliciorum contemtui occurrerent, non quasi ipsam suicidae actionem improbarent, sed unice ut suae majestati prospicerent. Probabile igitur mihi videtur utramque declamationem scriptam esse ad dissuadendam legem illam, sive Graecam sive Massiliensem, eo tempore, quo de remediis in suicidia, quorum numerus in dies crescebat, inducendis Imperatores cogitabant. Harum vero declamationum scriptoris qualiscunque tandem argumenta haec erant: eum qui mortem sibi inferendi propositum foveat, justam caussam semper habiturum, metum ne parricidium admittat, ne a principe crimine laesae majestatis accusetur; Senatum contra, licet petitor gravissimas etiam caussas, amissionem uxoris, liberorum, bonorum, incendium domi afferat, siquidem dives senator pauperem civem cruciare diutius cupiat, caussas probare semper recusaturum (¹). — Sententiam nostram, Imperatores de sepultura suicidarum cadaveribus non concedenda aliquando cogitasse, confirmare videtur locus Senecae rhetoris (²), quo non sine

(¹) Cff. quae monui περὶ τῆς εὐλ. ἐξ. p. 339. (²) Lib. VIII, cont. 4.

ironia argumenta in utramque partem afferuntur et dijudicantur, sed ita ut facile appareat cum quoque sepulturae denegationem non probasse remediumque vanum esse duxisse.

Eos qui ([1]) hanc Massiliensem sive Graecam legem, suicidii caussas coram Senatum vel Imperatorem esse probandas, apud Romanos, Imperatorum saltem aetate, viguisse contendunt auctoritate hujus Dionis Cassii ([2]) loci: ἐπιτρέψαντος αὐτῷ καὶ τοῦ Ἀδριανοῦ, optime refutavit Falckius ([3]), qui Reimari latinam versionem, cui innititur ratio eorum, qui imperatoriam veniam ab iis qui fata properare animo volvunt impetrandam fuisse contendunt, vitio laborare probat, omissa particula καί, „quum ei *etiam* Hadrianus concessisset"; cujus particulae vi ipsius loci interpretatio eo redit: non tantum Imperator, sed etiam amici, Euphratis precibus sollicitati, ejus mortem sibi inferendi consilium probarunt; non igitur de publico Hadriani responso vel de decreto sed de amico agitur, qui, desiderio amici quem summi faciebat ([4]) aegre convictus, ejus consilio cicutae potu se a senectutis miseriis et morbi cruciatibus liberandi tandem suum etiam adscribit suffragium.

([1]) Fabrotus, de mort. vol. in Ottonis thes. T. V, p. 1189, Wrisberg, de eo quod just. est circa autoch., p. 28, Feuerbach, Lehrb. des peinl. R., § 241. ([2]) LXIX, 8. ([3]) Op. l. p. 145 sq. In eandem sententiam, minus vero felici successu, Dionis Cassii locum interpretari tentatus est Waechterus, op. l. p. 262 sq. ([4]) Cf. Plin. Epp. I, 10.

His argumentis confutantur ii qui contendunt suicidis sepulturam jure Romano fuisse denegatam; ad secundam vero quaestionem de publicatione bonorum, quam in propricidas Hadriani demum tempore inductam fuisse contendimus, continuo accedamus.

Winckleri ([1]) et Hermanni ([2]) errorem, qui prima bonorum suicidarum publicationis vestigia deprehendere sibi visi erant in Appii Claudii et Spurii Oppii decemvirorum legibus ferendis constitutorum, qui de criminibus accusati in vinculis mortem sibi consciverant, exemplis a Livio ([3]) memoratis, jam confutavit Waechterus ([4]). Uterque propter summam superbiam et crudelitatem in vincula conjectus est, uterque ante diem judicii constitutum finem vitae fecit, bona eorum Tribuni publicavere: collegae eorum exsilii caussa solum verterunt, bona eorum etiam publicata sunt; non igitur loquitur Livius de publicatione bonorum propter suicidium, sed unice ex hoc loco illud redit, eos tanquam exsules, tanquam criminis capitalis reos, eadem poena affectos fuisse qua collegae qui in vivis manserant. — Quam in suam sententiam Hermannus ([5]) traxerat Valerii Maximi ([6]) traditionem de morte voluntaria C. Licinii Macri, quasi Cicero dubius haesisset an in Macrum publicationem bonorum pronunciaret et unice ejus cognatorum misericordia eam non agno-

([1]) p. 20. ([2]) p. 18. ([3]) III, 58. ([4]) p. 78 sq. ([5]) p. 18. ([6]) IX, c. 12, ex. 7.

visset, haec non tantum probat **Ciceronis** aetate suicidium e conscientia sceleris nullam poenam fuisse consecutam, sed adeo publicationem in crimen constitutam omnemque rei condemnationem ejus suicidio cessasse, ut ex his verbis diserte intelligitur: **Macer** ad **Ciceronem** mittit aliquem, „qui diceret, se *non damnatum*, sed *reum* periisse: *nec sua bona hastae posse subjici.* — Qua cognita re **Cicero** de eo nihil pronuntiavit". **Valerius** hanc mortem laudat tanquam viro fortitudine conspicuo dignam, quum voluntaria morte sua pater filium, illustris ingenii oratorem, et ab inopia rei familiaris et a crimine domesticae damnationis, inusitato paterni fati genere, vindicaverit.

Mortem voluntariam sub **Tiberii** et **Neronis** imperio vulgare remedium fuisse, quo laesae majestatis rei non tantum condemnationis ignominiam verum etiam bonorum publicationem fugerent, cum **Tacitus** pluribus locis, tum diserte **Dio Cassius** (¹), de **Tiberii** aetate loquens, testantur: „Plerique", inquit, „damnationem voluntaria morte praeverterunt, hac potissimum de caussa, ne contumeliam et cruciatus pati cogerentur, tum ob hoc etiam, ut ad liberos suos hereditas perveniret. Paucorum enim, qui se ante diem judicii ipsi interfecissent, bona publicata sunt". Ex quo loco nimirum nihil aliud redit atque nullam consuetudinem usu receptam, nullam legem his saevissimae tyrannidis temporibus ab Imperatoribus

(¹) LVIII, 15. Cf. c. 16.

ex auri vel sanguinis siti saevientibus non violatam fuisse, tutissimum vero remedium, quod Imperatores maxime adhuc revererentur, fuisse mortem voluntariam; paucorum enim tantum, qui judicium morte voluntaria praevertissent, bona fuisse publicata; plerosque igitur hoc remedium arripuisse, ut condemnationis contumeliam, poenarum cruciatus, ipsam bonorum publicationem fugerent. Exemplum Libonis Drusi, qui majestatis reus manus sibi intulit, post cujus mortem accusationem hujus criminis judices persecuti sunt, indicare videtur quam verecunde ipse Tiberius ad hoc remedium vel consilium accesserit, quum, ut accusatio justitiae saltem speciem assumeret, licet mortuus esset reus, caussam in judicium deducendam, bona vero, quae ipse sibi vindicare non sustinebat, inter accusatores distribuenda esse curaverit ([1]).

Trajani adeo aetate nondum legem fuisse constitutam, qua is, qui sceleris conscientia, ut capitalis criminis, in quod constituta erat bonorum publicatio, condemnationem vitaret, manus sibi inferebat, criminis convictus diceretur ejusque bona publicarentur, apparet e condemnatione Caecilii Classici pro consule in provincia Baetica. In hujus defuncti accusatione, quum vulgaris opinio esset eum exiisse de vita quum defendi non posset, licet, ut ait Plinius ([2]), pudorem damnationis

([1]) Tac. Ann. II, 31, 32, Dio Cass. LVII, 15. ([2]) Epp. III, 9.

morte fugisset, perstiterunt Baetici; ita tamen ut hujus accusationis post mortem defuncti persecutionis, quam, legibus provisam, deinde intermissam, tunc vero post longam intercapedinem reductam esse testatur Plinius, hanc caussam darent, quod simul socios ministrosque Classici detulerint nominatimque in eos inquisitionem postulaverint.

Haec igitur disputatio nos eo deduxit, ut merito statuere posse nobis videamur, summam fuisse apud Romanos Imperatorum aetate in suicidas reverentiam, non ipsius suicidii caussa, sed quod ii qui voluntaria morte fata properarent vulgo essent fortes, optimi quique viri, qui sponte e vita exire quam injustae atque arbitrariae poenae ignominiam subire mallent; Imperatores quidem, quum majestatem suam hac omnis poenae fuga ludibrio summo haberi maximeque infringi animadverterent, de remediis quibus anctoritatem suam fulcirent diu jam cogitasse, temporaria fortassis remedia in unum alterumve casum induxisse, ante Hadriani vero tempora in suicidarum vel cadavera vel bona nullam legem, publice sancitam et solenniter constitutam, viguisse (¹). De iis igitur quae ab Hadriano et post ejus mortem constituta sunt, deinceps videamus.

Instituit Hadrianus publicationem bonorum in suicidas ob conscientiam sceleris (²), non tanquam

(¹) Cf. Waechterus, op. l. p. 110 sq. (²) Cff. L. VI, § 7 D. de inj. rupt., L. XXXIV pr. D. de test. mil., L. VI,

poenam in suicidium, ut plerisque interpretibus, Hubero [1], Personaeo [2], Maesterto [3], Wincklero [4], Hermanno [5] aliisque videbatur, sed unice tanquam remedium, quo coërceretur eorum libido qui bona sua, quae e capitali crimine ad fiscum revolvebantur, suis heredibus integra servare studebant. Requirebatur e rescripto D. Pii ut reus, qui e conscientia sceleris mortem sibi conscivisset, vel deprehensus esset in crimine vel accusatus crimine [6], in quod legibus publicatio bonorum vel constituta erat vel quod haec publicatio e delicti gravitate necessario sequebatur [7]; ita quidem ut, si quis nulla justa caussa praecedente in reatu decessisset, heredes vero caussam suscipere et innocentem defunctum ostendere parati essent,

---

§ 7 D. de re mil. [1] Digr. P. II, L. I, c. 3, § 6. [2] In anim. in priores IV libr. obss. jur. Rom. C. van Bynkersb., c. VII. [3] De just. legg. Rom. L. II, dub. 61. [4] Op. l. p. 15 sqq. [5] Op. l. p. 19 sq. [5] Feuerbachius, op. l. § 242, p. 354 ed. 13, censebat, ut publicatio bonorum valeret, requiri inquisitionem criminis jam inceptam esse, cui sententiae manifesto repugnat L. XLV, § 2 D. de jur. fisc.: „Ejus bona, qui sibi ob aliquod commissum flagitium mortem conscivit et manus intulit, fisco vindicantur". [7] L. III, § 1 D. de bon. eor.: „Ut autem D. Pius rescripsit, ita demum bona ejus qui in reatu mortem sibi conscivit, fisco vindicanda sunt, *si ejus criminis reus fuit, ut si damnaretur, morte aut deportatione adficiendus esset.*" L. III, § 3 eod.: „Ergo ita demum dicendum est, bona ejus qui manus sibi intulit, fisco vindicari, *si eo crimine nexus fuit, ut, si convinceretur, bonis careat*". Cf. Waechtarus, in primis p. 97 et 100.

non, prouti in casu mortis naturalis, omnis caussae inquisitio cessaret, sed non prius bona in fiscum cogenda essent, quam si de crimine constaret ([1]); praesumebatur suicida convictus crimine, a parte vero heredum huic juris praesumtioni opponebatur contraria probatio. Occurrunt quidem leges, cum in Justiniani Digestis tum in Codice, generalioribus verbis conceptae, sed quae, nisi sint rescripta Imperatorum in singulos casus ad propositam normam interpretanda ([2]), e toto contextu arctiorem interpretationem recipiunt, enumeratis criminibus quae bonorum publicatio sequatur vel caussis e quibus testamenta valeant. Iis, quae posuimus, minime obstat Winckleri ([3]) objectio: ante commissum propricidium ipsam sententiam nondum latam fuisse, neque adeo in mortuum ferri aut executioni mandari, poena igitur principali cessante, ejus sequelam non superesse potuisse, et, prouti, si reus pendente accusatione naturali morte diem supremum obiisset, omnis accusatio vel poenae persecutio cessare debuisset, ita quoque bona suicidae ob conscientiam sceleris,

([1]) L. III. § 8 D. de bon. eor. ([2]) L. XXVIII, § 1 D. de bon. libert. *metu accusationis*, L. II Cod. ubi caus. fisc. *metu alicujus poenae*, L. III, princ. D. de bon. eor. *metu criminis imminentis*, L. II Cod. eod. *ob metum criminis*, L. II Cod. qui test. fae. poss. *futurae poenae metu*, L. I Cod. de bon. eor. *conscientia delati admissique criminis*, L. VI, § 7 D. de inj. rupt. *ob conscientiam criminis*, L. XXXII, § 7 D. de don. int. vir. et ux. *ob sceleris conscientiam*, L. XLV, § 2 D. de jure fisc. *ob aliquod admissum flagitium.* ([3]) p. 19.

nisi in ipsum suicidium poenam constitutam fuisse dicamus, publicanda neutiquam fuisse. Reus, quum naturali morte obeat, nulla post mortem relinquit confessionis vestigia, ut igitur cum morte accusatio suspendatur necesse est; reum vero qui e conscientia sceleris manus sibi intulerit pro convicto haberi, cam igitur condemnationis partem, quam post mortem exsequi liceat, quasi in vivis mansisset, absolvendam esse, jam pluribus docuimus. Quaestio a primis juris Romani interpretibus, in primis Italis, agitata, num talis suicida *intestatus* an vero *intestabilis* decedat, quum publicationem bonorum non suicidii, sed capitalis criminis sequelam esse constet, nunc sponte solvitur [1]; idemque statuendum de alia quaestione, num in istis casibus sit duplex an simplex delictum [2].

Quum Imperatores Romani ex omnibus reliquis mortis voluntariae caussis, vitae taedio [3], impatientia doloris [4], pudore aeris alieni [5], furo-

---

[1] Cff. Baldus ad L. II Cod. qui test. fac. poss. § secundo quaero, p. 51 ed. Lugd. 1531, Sichardus ad L. II Cod. eod. nº 5, p. 711 ed. Francof. ad M. 1586. [2] Cff. Bellapertica et Cinus ad L. II Cod. qui test. fac. poss. nº 4, Bartolus in summa ad Tit. D. de bon. eor. nº 4, opp. omn. Tom. III, P. II, p. 573 ed. Bas. 1588. [3] Romanorum de hac caussa sententiam probant Wolfius, jur. nat. P. I, c. 2, § 364 et Hermannus, op. l. p. 26. Cf. Schultzius, der nat. Selbstm. S. 4 ff. [4] L. III, § 4 D. de bon. eor., L. XXXIV D. de test. mil. [5] L. XLV, § 2 D. de jur. fisci, e Pauli, qui D. Antonini consiliarius fuit, rec. sent. Lib. V, Tit. XII, § 1. Cff. Cujacius ad Paul. rac. sent. l.l., Tom. I, p. 301 ed. Lut. Par. 1617,

re ([1]), insania ([2]), morbo vel valetudinis alicujus impatientia ([3]), luctu ([4]), jactatione ([5]) testamenta valere censerent, invisam illam legem in bona eorum, qui ob sceleris conscientiam manus sibi intulissent, non extensive, sed summa cum restrictione interpretabantur. Memorabilis hac in re est interpretatio ipsius Hadriani in casu quo pater filii necis reus ipse sibi manus intulerat, praesumendum esse patrem magis dolore filii amissi mortem sibi irrogasse quam ob conscientiam admissi criminis ([6]).

Diversitatis opinionum de sententia Romanorum de morte voluntaria e conscientia sceleris princeps caussa fuit interpretatio Legis tertiae Dig. *de bonis eorum* et quidem maxime vocum *facti sceleritatem.* Eck-

---

Schnltingins, Jurispr. vet. Ante-Just. p. 476 sq., Bachius, Hist. Jurispr. Rom. L. III, c. II, § 30, p. 474 ed. Stoekm. scriptoresque ibi eitati. ([1]) L. II Cod. qui test. fac. poss. ([2]) L. I Cod. de bon. eor. ([3]) L. VI, § 7 D. de re mil., L. XLV, § 2 D. de jur. fisc. ([4]) L. XXXVIII, § 12 D. de poen. ([5]) L. VI, § 7 D. de inj. rupt. ex Ulpiani libro X ad Sabinum; quam jactationem Wincklerus, p. 28 et Hermannus, p. 30 sq., perperam censent esse morem illum fanaticorum caput jactandi, quum intelligenda sit, ut jam monuerunt Bynkershoekius, Boehmerus aliique, de gloriae affectione, ex qua caussa saepius antiquitus suicidia esse commissa, quam vulgare adeo suicidii genus epud nonnullas philosophorum sectas, Cynicos, Gymnosophistas, ex exemplis Euphratis, Peregrini, Calani, fuisse novimus. Cff. Waechterus, p. 224 sq. scriptoresque quos eitat not. 76. ([6]) L. III, § 5 D. de bon. eor.

hardtus[1], Wincklerus[2], Hermannus[3], Potherius[4] aliique, qui poenam in suicidium jure Romano constitutam fuisse dixerunt, Cujacianam sententiam[5] secuti, has voces nullo quidem vitio laborare, sed, ad ipsum suicidium referendas, ingentem depravationem vel foeditatem animi ejus qui sibi mortem intulerit prodere, legemque hunc in modum interpretandam esse statuerunt; alii, ut Holoander[6], Dukerus[7], *facti celeritatem*, alii, ut ab Oosten de Bruyn[8], van Hasselt[9], Cloppenburg[10], Waechterus[11], van Hulten[12] cum Grotio[13] *fati celeritatem* receperunt; alii, ut Elbertus Leonini[14], dubitarunt utra vox, *celeritas* an *sceleritas*, praeferenda esset; alii denique, ut Hoogwerff[15], Everardus Otto[16], Albers[17], Boehmerus[18], cum Bynkers-

---

(1) Herm. Jur. Lib. I, c. IV, § 138, p. 270 ed. Walch. (2) p. 24. (3) p. 36. (4) ad Lib. XLVIII, tit. 21 Dig. de bon. eor., Tom. III, p. 540 ed. Lugd. 1782. (5) In comm. ad Tit. de inj. rupt. ad L. si quis fil. § ejus qui dep., Tom. I, p. 771. Cff. Parat. in Lib. XLVIII, tit. 21 D. de bon. eor., Tom. I, p. 578. (6) Dig. Lib. XLVIII, tit. 21, p. 2252. (7) de lat. ICt. vett. p. 325 sq. (8) op. l. p. 77 sq. (9) de autoch. p. 13. (10) de autoch. p. 5. (11) op. l. N° XI, p. 226 sq. (12) De suic. sec. jus rom. p. 24 sq. (13) Flor. spars. ad jus Just., ad L. III D. de bon eor., p. 280. (14) Emendatt. s. Obss. Lib. IV, c. 5, n[is] 4 et 5. (15) de var. jur. rom. part. Stoam redol. p. 38. (16) In Papiniano, c. IX, § 7. (17) Ad L. III de bon. eor., p. 20. (18) Meditt. in C.C.C. ad Art. 135, p. 638.

hoekio ([1]) voces *facti sceleritatem* non ad αὐτοχειρίαν sed ad ipsum crimen retulerunt. Locum ita explicat Bynkershoekius: „Non crimen commissum, qualecunque sit, post αὐτοχειρίαν puniri, utpote morte exstinctum, *sed metum conscientiae teneri*, et hunc metum praesumi non in quovis facinoroso, sed in eo, qui in scelere deprehensus aut jam reus postulatus est; namque eum haberi pro confesso, non alium quemvis e sola facti sceleritate". Ex quibus diversis sententiis Bynkershoekiana mihi praeferenda videtur; fateor quidem *fati celeritatem* de eo dici qui manus sibi intulerit, hanc quoque lectionem bonum sensum praebere, sed non video cur vulgata mutanda foret, si aptior adeo sensus ex ea erui possit. Objicient mihi contrariae sententiae asseclae vocem *sceleritatem* nuspiam occurrere; hanc vero objectionem vanam esse jam monuit Bynkershoekius, quum e scriptis Romanorum, apud quos plerosque scriptores, ipsum adeo Ciceronem ([2]), singularibus quibusdam notionibus usos esse constat, vix decima pars aetatem tulerit, e scriptis adeo ICtorum, quos saepe singulare dicendi genus secutos esse novimus, plerumque non nisi fragmenta supersint. Posteris temporibus plures voces ita ἀρχαϊκῶς ex adjectivis vel substantivis informatas

---

([1]) Obss. jur. rom. Lib. IV, c. 4, p. 348 sq. Cf. Heffter, Lehrb. des gem. deutschen crim. R. S. 277, N° 3.
([2]) Cf. Andr. Schottus de Nodis Ciceronis, Lib. III, c. 17.

esse constat, ut *dilucitas*, *familitas*, *malitas*, *ponderitas*, *solitas*, *squalitas*, *uberitas*, *vicissitas*. Confirmare denique videntur lectionem *sceleritatem facti* digesta Florentina, in quibus graece legitur ἀνομία ([1]). Locum, cujus lectionem non sollicitem ([2]), interpretatione ita illustrandum esse censeam: duae diversae hoc loco conjunguntur sententiae; Papiniani, qui, nullum delatoris testimonium admittens, non facti sceleritatem, non quod summum flagitium suicida commisisse dicatur, sed quod jam reus vel postulatus conscientiae illo metu quasi confessus videatur obnoxium esse censebat; Marciani ([3]), qui Papiniani sententiam ampliavit, additamento illo: *vel qui in scelere deprehensi* ([4]); verba igi-

---

([1]) Cf. Fahrotus de mort. vol. in Ev. Ottonis thes. jur. Rom. Tom. III, p. 1190. ([2]) Aliquando cogitavi, legendumne esset *facti celebritatem*, quae vox *celebritas* sane cum optima est latinitate, tum satis aptum sensum praebet, Marciani adeo verbis, *vel qui in scelere deprehensi*, optime opponitur; ut enim notissimum illud *vox populi*, *vox Dei*, ita hanc populi vocem Papinianum *facti celebritate* spectasse arbitrabar; postea vero, re denuo perpensa, conjecturam rejeci, quum animadverterem Papiniani locum ita ad omnia crimina exteudi, quum ad sola gravissima vel capitalia, quam notionem voci *sceleritatis* inesse mihi persuasum habeo, eum restringendum esse appareat. ([3]) Marciani sententia desumta est e D. Antonini (Antonini Caracallae) rescripto L. I Cod. de bon. eor.: „Eorum demum bona fisco vindicantur, qui conscientia delati admissique criminis, metuque futurae sententiae manus sibi intulerunt". ([4]) Sichardus ad L. II Cod. qui test. fac.

tur illa intermedia: „ Papinianus *tamen lib. 16 Responsorum* ita scripsit, (*ut*), *qui rei criminis non postulati manus sibi intulerint*, *bona eorum fisco non vindicentur: non* enim *facti sceleritatem esse obnoxiam*, *sed conscientiae metum in reo velut confesso teneri placuit*", ita legenda sunt quasi in parenthesi essent posita, ita ut Marciani sententia eo redeat: „*Qui rei postulati vel qui in scelere deprehensi*, *metu criminis imminentis*, *mortem sibi consciverunt*, *heredem non habent; ergo aut postulati esse debent aut in scelere deprehensi*, *ut*, *si se interfecerint*, *bona eorum confiscentur*".

Ex iisdem caussis, e quibus bona suicidae publicabantur, etiam donationes rescindebantur, quas maritus uxori donaverat, quas vero suicida aliis donaverat, unice si mortis caussa donaverit ([1]). Quum igitur hae poenae non suicidii caussa irrogarentur, infamia quoque, qua notabatur is qui capitalis criminis reus erat, ipsa luctus interdictio manebat unice cadaver ejus qui ob hujus criminis conscientiam manus sibi intulerit; suicidae tamen uxor, si intra legitimum tempus nuptum se collocaverit, ob turbationem prolis semper infamia notabatur ([2]).

---

poss., nº 9, p. 713, deprehensum in crimine cum quoque vocat, de cujus delicto est fama publica cujusve factum publice innotuit. ([1]) L. XXXII, § 7 D. de don. inter vir. et ux. Cf. Decianus, tract. crim. Lib. IX, c. 4, § 11. ([2]) L. XI, § 3 D. de his qui not. inf. Cff. Jul. Paulus, rec. sent. Lib. I, Tit. XXI, § 13, Wincklerus, p. 21 sq., in primis Hermannus, p. 31 sqq.

Exstiterunt alii, qui e communi juris criminalis principio, crimen morte exstingui, in suicidium quidem consummatum jure Romano nullam poenam constitutam, illius vero conatum poena affectum fuisse contendebant (¹). Peregrinus (²), Gomezius (³), Salchow (⁴), Bergerus (⁵), Puttmannus (⁶), Martinus (⁷), Gerhardus (⁸), Wincklerus (⁹), Hermannus (¹⁰) et Rosshirt (¹¹), argumentis cum aliunde tum maxime e L. III, § 6 Dig. *de bon. eor.* petitis, conatum suicidii jure Romano puniri sibi persuasum habuerunt; Petrus Heigius (¹²) adeo conatum e lege Cornelia de sicariis puniendum esse censuit. — Verba: „Et merito, si sine caussa sibi manus intulit, puniendus est: qui enim sibi non pepercit, multo minus alii parcit", e contextu totius legis tertiae interpretanda et tanquam praecedentium paragraphorum ampliatio consideranda sunt; prouti igitur in hac lege non de poena suicidii, sed unice de poena ejus agitur, qui in crimine deprehensus vel postulatus pro convicto habetur, ita quoque ex

---

(1) Cff. Cinus ad L. II Cod. qui test. fac. poss. n° 5, Decianus, Tract. crim. Lib. IX, c. 4, n° 5. (2) De jur. fisc. Lib. IV, tit. 4, n° 4 sq. (3) De delict., c. III de homic., n° 14, var. res. Tom. III, p. 475 ed. Francof. 1584. (4) Lehrb. des peinl. Rechts, § 231 ed. 3ª. (5) Elect. jurispr. crim. p. 97. (6) Elem. jurispr. crim. § 381, p. 180 sq. ed. Bieneri. (7) Lehrbuch des Crim. Rechts, § 261, nota 18. (8) De crim. propric. p. 29. (9) Op. l. p. 27, 33. (10) Op. l. p. 35. (11) Lehrb. des crim. R. S. 360. (12) Quaest. P. II, nis 31 sqq.

hujus legis paragrapho sexta suicidii conatus, nisi accedat contraria probatio, efficit ut reus pro convicto habeatur; poena igitur secundum hanc paragraphum in ipsum patratum crimen, non vero in suicidii conatum constituta est ([1]). Adversarii in primis verba *sine caussa* in suam sententiam interpretari conati sunt; multi adeo, ut Puttmannus, verbotenus ea accipienda esse censebant. Nemo vero sine caussa manus sibi infert, lex igitur poenam constitueret in casum qui ne cogitari quidem posset. Aliam viam alii ingressi haec verba interpretabantur *sine justa caussa;* e quorum igitur sententia suicidium ex justa caussa non puniendum, ex injusta vero vel sine caussa puniendum esset. Quum vero Romanis ipsum suicidium numquam injustum visum sit, distinctio inter justam et injustam caussam, qua, ut Bergerus et Carpzovius([2]) statuerunt, suicidium priori casu licitum, posteriori vero crimen dicendum esset, Romana dici numquam potest. Opponebant vero Romani, ut jam vidimus, suicidium e conscientia criminis suicidio e ceteris omnibus caussis, illudque sine caussa vel nulla justa caussa praecedente commissum dicebant. Ut igitur tota haec paragraphus sexta ad

---

([1]) Hanc quoque sententiam tuiti sunt Bynkershoekius, Obss. L. IV, c. 4, p. 346, Albers, ad L. III de bon. eor. p. 43, Waechterus, op. l. p. 240 sqq., Henke, Handb. des crim. R. und der crim. Polit. Th. III, S. 390. ([2]) Pract. rer. crim. P. I, qu. 2, n° 38 sqq. Cf. Lauterbachius, Colleg. Pand. Lib. XLVIII, tit. 21, § 17.

legis tertiae normam interpretanda est, ita quoque verba, *quasi de se sententiam detulit*, de conscientiae metu in reo velut confesso intelligenda sunt.

Videamus deinceps jure an injuria Waechterus ([1]) et Heffterus ([2]) Romanos a proposita norma, suicidia nulla poena esse coërcenda, militiae caussa recessisse statuerint ([3]). Consummato suicidio testamentum valebat vel intestati bona cognatis aut, si hi non superessent, legioni vindicabantur, ejus scilicet militis qui ex impatientia doloris vel vitae taedio voluntaria quam naturali morte interire maluerat ([4]); irritum vero fiebat testamentum ejus qui ob conscientiam delicti militaris manus sibi intulerat, ut in epistola ad Pomponium Falconem D. Hadrianus rescripsit ([5]); consummato igitur a milite suicidio a regula generali exceptio nulla erat. De suicidii a milite conatu intricatior videtur esse quaestio. Conatus ex omni alia caussa, quam e militiae taedio vel impatientia, ignominiosa missione; conatus vero sine caussa, quo casu illud taedium vel haec impatientia praesumebatur, poena capitis plecte-

---

([1]) Op. l. p. 102 sqq. ([2]) Op. l. p. 276. ([3]) Suicidium in milite crimen esse duxerunt Noodtius, Obs. IV, 4 med. p. 347 ed. Lugd. Bat. 1710, Schultingius, Jurispr. vet. Ante-Just. ad Jul. Paul. rec. sent. Lib. V, tit. 21, not. 11, van Hasselt, op. l. § XII, p. 12, ab Oosten de Bruyn, op. l. c. II, § XI, p. 73 sqq., Rosshirt, Lehrb. des crim. R. S. 360. ([4]) L. XXXIV princ. D. de test. mil. ([5]) L. VI, § 7 D. de inj. rupt.

batur ([1]). Utriusque poenae rationem non in suicidii conatu, sed in disciplina militari quaerendam esse in promptu est ([2]). Militis procul dubio fortiter se gerere primum officium erat; miles igitur, qui ex impatientia doloris, morbi vel luctus manus sibi inferre conabatur, ignaviae aeque incusandus erat, atque is qui in medio certamine turpiter terga vertebat, ignominiose ergo erat mittendus tanquam miles deficiens fortitudini, praecipuo suo muneri: militi scilicet, posito in custodia, pro libitu ex ea egredi non licebat; locaverat se miles, obligationem quasi contraxerat ([3]), vitam pro patria vendiderat; versabatur caussa rei publicae, citra cujus injuriam militi de vita sua statuere non licebat ([4]). Miles vero, qui sine caussa ma-

---

([1]) L. VI, § 7 D. de re mil., L. XXXVIII, § 12 D. de poen.; haec recentior, e Pauli rec. sent. Lib. V, illa, qua Arrius Menander, L. I de re mil., ipsius Hadriani rescripti verba retulisse videtur, generalior erat, licet contrarium statuerit Donne (Staeudlinus op. l. p. 134 sq.); adjectio enim illa *ex alia caussa*, L. XXXVIII, eum caussas L. VI, cujus repetitio et ampliatio erat, relatas, tum omnes ceteras complectitur. ([2]) Nonnulli has poenas repetebant e principio legis Corneliae de sicariis, quam sententiam merito refellit Zachariae, die Lehre vom Vers. der Verbr., Th. II, § 192, S. 103 nota; qui tamen minore jure rationem quaerendam esse censet in L. XIV D. de poenis, quasi suicidium ejusve conatus e juris Romani principiis esset delictum, quod unice in militem poenam irroget. ([3]) Cf. Staeudlinus, op. l. p. 76 seqq. ([4]) Cff. Bynkersh. obss. jur. Rom. IV, c. 4, p. 346 sq., Potherius in Dig. tit. de re mil. n° 23, not. D.

nus sibi inferre conatus esset, militiam deserendi cousilio egisse praesumebatur et tanquam militiae desertor summo supplicio, poena capitis, afficiebatur, quae poena rursus remittebatur, si non aderat militiam deserendi praesumtio, si per vinum aut lasciviam lapsus manus sibi inferre conatus erat ([1]). Afficiebatur non poena mortis, ut interpretes, qui sicco pede hanc quaestionem transierunt, statuere solent, de qua poena nulla lex neque in Digestis neque in Codice in suicidii a milite conatum diserte loquitur, sed capitis, quae pocna cum de summis jure Romano suppliciis ([2]), tum de summa capitis diminutione dicitur, quam poenam olim in eos, qui ad delectum non respondebaut, constitutam fuisse novimus ([3]). Poenam igitur capitis in nostro casu minime intelligerem de poena mortis, quum vix credibile videatur Roma-

---

([1]) L. VI, § 7 D. de re mil. ([2]) Argumento L. XXVIII pr. D. de poen. Coll. L. III, § 4, 11, 13, 15, L. IV, § 1, 2, L. V, § 1 et 3, L. VI, § 1, 2, 3, L. VII, L. X princ., L. XI, L. XIII, § 4, 5 D. de re mil., L. XIV et XV D. de poen., L. V D. princ. de bon. damn. ([3]) L. IV, § 10 D. de re mil., ex Arrii Menandri Lib. I de re mil.: „qui ad delectum olim non respondebant, ut proditores libertatis, *in servitutem redigebantur:* sed mutato statu militiae recessum a *capitis poena* est." Cff. L. V de re mil., in primis § 1: „Qui in pace deseruit, eques gradu pellendus est: pedes militiam mutat. In bello idem admissnm *capite puniendum est*," et § 3: „Desertor, si in urbe inveniatur, *capite puniri* solet: alibi adprehensus, e prima desertione restitui potest: iterum deserendo, *capite puniendus est*," L. XVI, § 1 de re mil.: „Miles turbator pacis *capite punitur*".

nos militem morte, inani supplicio, si de eo sumendum sit qui jam impatiens militiae eam morte deserere animo conceperat, plectendum duxisse; sed potius existimarem Imperatores, prouti lenius vel severius de desertione militiae judicarunt, judicibus arbitrium fecisse in eligenda una alterave poena capitali legibus in delicta militaria constituta ([1]). Puniebatur igitur utroque casu non suicida, sed miles, et in ipsa illa distinctione non variarum suicidii caussarum, sed minoris majorisve in militiam transgressionis ratio habebatur. Magis etiam confirmari videtur haec sententia exemplo, libera etiamnunc re publica, C. Vettieni, qui, teste Valerio Maximo ([2]), quum, ne bello Italico militaret, sinistrae manus digitos abscidisset, publicatis bonis, aeternis vinculis punitus est; in quo profecto exemplo nullum suicidii conatus vestigium, sed unice de poena in militiae taedium vel detrectationem actum fuisse constat.

Eadem ratio quae in milites, in servos quoque jure Romano pollebat; ut enim miles civitati, ita servus domino se auctoraverat. Servis igitur, quum in ipsum suicidium jure Romano nulla poena esset constituta illudque factum per se numquam reprobaretur, *naturaliter* in suum corpus saevire licebat, et, licet ceteroquin damnum quod servus

---

([1]) Cf. L. VI, § 4 D. de re mil.: „Exploratores, qui secreta nunciaverunt hostibus, proditores sunt, et *capitis poenas* luunt". Coll. L. III, § 1 et 10 eod. ([2]) VI, c. 3, ex. 3. Cf. Suet., vitae August. c. 24.

domino intulerit semper de peculio deduci posset, lex cavebat ne, si ipse servus sese vulnerasset vel occidisset vel praecipitasset, hoc damnum a domino de peculio deduceretur ([1]). Repugnant haec prorsus Winckleri ([2]) sententiae, qui ex his legis Aquileae verbis ([3]): *dominus membrorum suorum nemo videtur;* perperam effecerat nemini in corpus suum saevire, minus etiam alicui manus sibi inferre licere. Lex Aquilea loquitur de damno domino alicujus rei illato; si igitur laedebatur vel vulnerabatur servus, domino continuo directa ex hac lege actio concedebatur; liber homo vero, quum nemini sit dominium in membra sua, suo nomine actione directa ex lege Aquilea in laedentem vel vulnerantem agere non poterat, ut diserte Ulpianus: „Liber homo suo nomine *utilem* Aquileae habet actionem: *directam* enim *non* habet, quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur. Fugitivi autem nomine dominus habet". Agitur idcirco lege Aquilea de damno ab aliena quadam persona illato, minime vero de propria membrorum suorum laesione. Quum autem L. IX D. *de peculio* diserte pronunciet, *servo in corpus suum saevire naturaliter licere*, unde a fortiori apparet idem jus concedi libero homini, interpretes, qui jure Romano suicidium crimen vel

---

([1]) L. IX, § 7 D. de pecul. Cff. ad h. l. scriptores citati a Waechtero, p. 232, nota 86. ([2]) p. 25. ([3]) L. XIII princ. D. ad leg. Aquil. Cff. P. Gerhard, de crim. propric. p. 32, Waechterus, p. 227 sqq.

moraliter turpe fuisse censebant, nodum in scirpo quaerentes, vocem *naturaliter* variis modis interpretati sunt: alii, ut Dedekind [1], Heringius [2], Huberus [3], Mascovius [4], Stryckius [5], Wincklerus [6], Carpzovium [7], Decianum [8], Gothofredum [9] secuti, vocem *naturaliter* physice de licentia non juris, sed facti intelligebant; nullam providam curam, nullum praeceptum tam efficax esse ducebant, ut servos a propria caede arcere posset, si, spreta civili ratione, se interficere apud se constituerant; ut enim mittamus illud, *servo in corpus suum saevire naturaliter licere*, numquam significare, fieri quidem posse ut servus se interficiat, hoc vero omni juri repugnare [10], pugnat haec interpretatio cum ipsis Ulpiani verbis; dominus enim ex hujus sententia deducere poterat de peculio e contractu vel delicto non vero e suicidio servi: attamen physica ratio eadem erat; dominus enim physice contractus trangressionem, delictum a servo commissum aeque prohibere non poterat ac mortem ejus voluntariam. — Crellius [11] vocem *naturaliter*

---

(1) De autoch. p. 6 et 7. (2) De Stoic. vett. rom. Jurispr., apud Slevogtium, de sect. et phil. Ictorum, p. 414 sq. (3) Praelect. ad Lib. IX, Tit. II ad leg. Aq., nº 14, P. II, p. 827, Digr. Just. P. II, Lib. I, c. 3, § 6. Cf. idem in Eunomia ad L. IX de pecul. (4) Opusc. Tom. II, p. 508. (5) De jur. hom. in corpus, opp. omn. Tom. II, disp. XV, c. 4, nº. 4. (6) p. 31. (7) Pract. rer. crim. P. I, qu. 2, nº. 27, p. 16, Vit. 1635. (8) Tract. crim. Lib. IX, c. 2, nº 25. (9) Ad d. l. (10) Qua de re vide Waechterum, p. 233. (11) Ad L. III de bon. eor., § 3, p. 5 sq.

ita interpretabatur quasi non de jure naturali sed de statu servi esset intelligenda: „Quaerebatur", inquit, „an dominus deducere posset de peculio pretium servi, qui se ipsum occidisset. Negat Ulpianus, quia servo *naturaliter*, hoc est, *si liber esset*, uti omnibus hominibus liberis, impune liceret jure civili duntaxat in sua viscera saevire". Ulpianus igitur e Crellii sententia nihil aliud statuebat quam, dominum de peculio servi in viscera sua saevientis non deducere posse, quia libero homini jure civili in suum corpus saevire licet; ut de ineptiis, de servo non servo, sileam, quid, quaero, servo, quid juri domini in servum cum libero homine commune? — Antonius Faber([1]), quum interfectores sui injuriam rei publicae facere duceret, servum, quum nullius juris sit ([2]) vel pro quadrupede habeatur ([3]), non delinquere arbitrabatur, quum etiam brutis animalibus nihil illicitum sit ad quod naturae motu deferantur. Ut cetera mittam: servo, quum nullius sit juris quadrupedique similis, quoad statum vel civiliter suicidium nec licere nec illicitum esse potest, naturaliter vero tanquam homini ei quoque manus sibi inferre licet ([4]). — Fabrotus ([5]) locum ita explicandum ducebat: servo, quamvis in mancipio sit, in suum corpus saevire licere, et,

---

([1]) Ration. de pec. ad L. IX, § 7, Tom. II, p. 149 ed. Lugd. 1663. ([2]) L. XXXII D. de reg. jur. ([3]) L. II princ. et § 2 D. ad leg. Aquil. ([4]) Cf. Feltman, de cadav. inspic. c. XIX, § 6. ([5]) Op. I. p. 1190.

quo jure non video, e vi et potestate voculae *etiam* concludebat, de liberis hominibus idem non esse statuendum. civitatis enim maxime interesse ut liberos homines servet. — Paulus Voetius (1), Toellieu (2) et van Hasselt (3) vocem *naturaliter* referebant ad pravam aliquam inclinationem vel pravum morem, quo servi, ut dominos sui pretio fraudarent, violentas sibi manus inferebant, ad jus quoddam servi dominum commodo, quod ex eo percipiebat, privandi vel ad rigorem et ἀκρίβειαν ejus quod alicui liceat, etiam violata ceteroquin officii ratione. — Schultingius (4) eam accipiebat eo sensu, quo eam interdum sumi Grotius (5) jam docuerat, quod moribus et legibus id non curetur neque obligatio inde oriatur. — Hermannus (6) dubitabat utrum sententia Gothofredi an Crellii praeferenda videretur; utramque probans, Crellium tantum in eo errasse opinabatur, quod liberis hominibus jus αὐτοχειρίας permissum esse statuerit; de ipsa re vero non litigandum esse censebat, Ulpianum enim suam sententiam clarissime exposuisse (7): „Malus servus creditus est, qui aliquid facit, quo magis se rebus

---

(1) Ad Inst. Lib. I, Tit. I de J. et J., n° 4. (2) Diss. de luit. pign. et reb. mer. facult. (3) Op. I. p. 9 sq. (4) Thes. contr. dec. 55, § 7; idem in notis ad Dig. ed. Smallenb. Lib. XV, Tit. I, L. IX, § 7 de pec. (5) De J. B. et P. Lib. II, c. XII, § 26. (6) p. 34 sq. (7) Ad edict. aedil. curul. L. XXIII, § 3 D. de aedil. edict. Cff. L. XLIII, § 4 eod., Waechterus, p. 236 sqq.

humanis extrahat: ut puta laqueum torsit, sive *venenum pro medicamento* [1] bibit, praecipitemve se ex alto miserit, aliudve quid fecerit, quo facto speravit mortem perventuram". — Servum, quum mortem sibi consciscat, aeque ac servum fugitivum, malum servum dicendum esse domino, metuendumque esse ne talis servus, cum mortis metu omni servili disciplina, domini reverentia depositis, quum in ipso suicidii conatu deprehendatur, violentas manus in alium convertat, tacente etiam Ulpiano, sponte apparet; nostram vero sententiam, servo per se, ipso jure, jure naturali [2], sive status sive domini ratione habita, se interficere licere [3], hoc loco infirmari, equidem non video. Sponte enim patet servum civiliter in corpus suum saevire non posse [4], quum ei cum jure civili nulla sit communio; quod vero *malus* ab Ulpiano talis servus dicatur, non de morali ejus turpitudine, sed unice de minore usu vel pretio, quod ex eo dominus percipere possit, accipiendum est [5]. — Servus, licet impune in se saevire posset, poena tamen e Senatus consulto Silaniano [6] afficiebatur, si quis in ejus conspectu manus sibi intulisset, hunc vero in se saevientem prohibere potuisset.

[1] Hanc lectionem recepi e Bynkershoekii, obss. jur. rom. L. IV, c. 4, Tom. I, p. 350, emendatione; vulgo legebatur *medicamentum pro veneno*. [2] Cff. Hoogwerff, op. l. p. 37 et van Cleeff, op. l. p. 92. [3] Hanc quoque sententiam tuiti sunt Staeudlinus, op. l. p. 75 et Waechterus, op. l. p. 230 sqq. [4] Cf. Bynkershoekius, ll. [5] Cf. Huberus, in Eunom. ll. [6] L. I, § 22 D. ad sen. Sil. et Claud.

Lege constitutam fuisse publicationem bonorum ob sceleris conscientiam post Trajani demum imperium ab ejus successore Hadriano jam supra conjectura sumus assecuti; quaeritur autem an a primis inde temporibus haec publicatio in capitalia tantum crimina sancita fuerit. Wincklerus [1] eumque secutus Hermannus [2] contendebant, licet de aetate qua bonorum publicatio introducta esset non constaret, eam procul dubio initio irrogatam fuisse omnibus propricidis, cujuscunque delicti, etiam non capitalis, in quod haec publicatio legibus sancita non erat, accusati essent; Wincklerus [3] adeo, quum publicationem bonorum poenam esse statueret in ipsum suicidium constitutam, hujus legis fundamentum in lege Cornelia de sicariis, secundum quam haec publicatio omnes homicidas tenebat, reperisse sibi videbatur [4]. Uterque igitur statuebat D. Pium [5] primum fuisse, qui publicationem bonorum, quum antea omnia crimina spectasset, ad sola capitalia restrinxerit, eamque restrictionem valuisse ad Justiniani usque tempora. Wincklerus [6], in suam sententiam afferens Divi Pii constitutionem, qui rescripserat: ita demum bona ejus qui in reatu

---

[1] p. 15 sq. [2] p. 19. [3] p. 19 sq. [4] Communis olim scriptorum erat sententia, excepto tamen Farinacio, Prax. et Theor. crim. P. IV, qu. 128, nº 44, eum qui sibi vim intulerit aeque legis Corneliae reum haberi, atque eum qui alium dolo malo occiderit. [5] L. III, § 1 D. de bon. eor. [6] p. 16 sq.

mortem sibi conscivit, fisco vindicanda esse, si *ejus criminis reus fuit, ut, si damnaretur, morte aut deportatione adficiendus esset*, eam confirmari docebat Pauli [1] sententia, qui generalioribus verbis scripserat, ejus bona, qui sibi ob *aliquod admissum flagitium* mortem conscivit et manus intulit, fisco vindicari; non reputans Paulum, de eo quod ejus tempore juris esset locutum, diu post D. Pium vixisse. Locum igitur Pauli ad Winckleri sententiam confirmandam minime valere sponte apparet; discriminis inter utrumque locnm caussa haec esse videtur, quod D. Pii constitutio erat rescriptum aliquod generale, quod in omnes casus valeret, definienda igitur erant crimina in quae constituta erat bonorum publicatio; receptae vero Pauli sententiae, quae minus ut legis vim haberent, quam ut quid hoc tempore jure et consuetndine inductum esset, vel singulares quasdam sententias, in quibus de crimine constabat, genus igitur definiendum non erat, referrent, scriptae fuisse videntur, generalioribus verbis concipi poterant; quodsi igitur de legis alicujus ambitu quaeramus, non sententiae singulorum ICtorum, sed unice Imperatorum rescripta consulenda sunt. Pauli sententiam ita restrictive accipiendam apparet e Lege XLV, § 2 D. *de jure fisci*, quae non nisi compendium est ipsius Pauli sententiae et in qua diserte dicitur: ejus bona, qui sibi mortem conscivit, non ante ad fis-

[1] Rec. sent. Lib. V, c. 12, § 5.

cum cogi, quam prius constiterit, cujus criminis gratia manus sibi intulerit. Quaeri posset num restrictio in interpretatione verborum *admissum flagitium* latere videatur; quae si de crimine, non commisso, sed lege comprehenso, admisso scilicet lege accipiamus, omne sententiae discrimen sponte tollitur ([1]). — Verba *ita demum* in D. Pii rescripto non indicare restrictionem publicationis bonorum jam monuit Waechterus ([2]), quum Antoninus Caracalla, qui multo post vixit, eadem voce *demum* in suo rescripto usus sit ([3]), sed explicanda esse e natura rescriptorum, quae erant Imperatorum responsa, quibus de jure quaerentibus satisfacerent atque unice indicarent quinam casus lege complecterentur. Rescriptum igitur D. Pii erat tantum interpretatio vel definitio constitutionis D. Hadriani, quae vel obscurius scripta vel generalioribus verbis concepta fuisse videtur ([4]); quod eo probabilius fit, si D. Pii rescriptum cum rescripto D. Antonini conferamus; apparebit enim jam continuo illo criminis genus, hoc vero personae statum, qui poscebatur ut publicatio vim suam exsercret, utroque igitur conjunctim totam Hadriani constitutionem definitam fuisse. De statu personae ICtos Romanos dissensisse jam supra vi-

---

([1]) Eandem fortassis interpretationem recipiunt voces *admissique criminis* in rescripto D. Antonini, lato a° 213, paullo igitur ante Pauli aetatem, qui sub Alexandro Severo maxime floruit. ([2]) p. 106 sqq. ([3]) L. I Cod. de bon. eor. ([4]) Arg. L. III, § 5 D. eod.

dimus; mirum igitur ni primis inductae legis temporibus, ante latam D. Pii constitutionem, de ipsis criminis speciebus quae lege continerentur etiam quaesivissent. Ipse denique Ulpianus ([1]) diserte testatur hanc bonorum publicationem Principum constitutionibus inductam fuisse: „Eorum, qui mori magis quam damnari maluerint ob conscientiam criminis, testamenta irrita Constitutiones faciunt".

Ex his igitur apparet, quod ab initio jam posuimus, falsam esse eorum sententiam, qui suicidium a Romanis delictum dictum ejusque poenam jure Romano exactam fuisse contendant ([2]). Quorsum ceteroquin distinctio inter varias suicidii caussas? Quorsum illae quaestiones, an suicida sit in crimine deprehensus vel reus jam postulatus, an ipsum crimen sit capitale, id est ejus generis ut per se in illud jam constituta sit bonorum publi-

---

([1]) Lib. X ad Sabinum, L. VI, § 7 D. de injust. rupt.

([2]) Praecipuos scriptores, qui jure Romano suicidium neque delictum habitum neque poena adfectum fuisse censent, retulit Waechterus, p. 216 sq., not. 60; quibus addi possunt, praeter eos quos passim jam retulimus, Albers ad L. III Dig. de bon. eor. p. 47, Luden, vom Versuche, S. 128 et Mittermaier ad Feuerbachii comp. jur. crim. p. 353 ed. 13. Contrariam sententiam secuti sunt in primis Itali, antiqui glossatores jurisque Germanici interpretes, Cinus et Sichardus ad L. II Cod. qui test. fac. poss., Bartolus ad L. III D. de bon. eor., Carerius, pract. crim. § 127, p. 230, Carpzovius, pract. rer. crim. qu. 2, n[is] 25 sqq., q. 131, n[is] 48 sqq., Ant. Matthaeus, de crim. ad Lib. XLVIII Dig. Tit. V de sic. p. 477 aliique, de quibus vide Waechterum, p. 217 sqq.

catio? Clamant Wincklerus [1] et Hermannus [2] in ceteris casibus suicidam animi morbo laborare, suicidium igitur ei impntari minime posse; sed quorsum ista distinctio inter dolorem corporis et taedinm vitae, fnrorem et insaniam, inter levius delictum et crimen capitale, si illuc tantum spectaret an suicida mentis compos vel male sanus dicendus videretur, an suicidium ei imputari posset necne? Hae quaestiones sponte solvuntur, si poenam non in suicidium constitutam, sed unice effectum post mortem criminis capitalis fuisse, publicationem bonorum, luctus interdictionem, in suicidam, capitalis criminis reum vel in crimine deprehensnm vel jam postulatum, vim exseruisse dicamus, qnasi jam ante mortem condemnatus fuisset.

Quam in suam sententiam Wincklerus [3] et Hermannus [4] afferre student Severi et Antonini constitutionem [5], haec nostram sententiam prorsus confirmat: „Quum hoc quaeratur, an pater Aristae mortem sibi consciverit metu alicujus poenae, ac *propterea* bona a fisco vindicari debeant, jam *non de crimine aut poena mortui*, sed *de bonis* quaerendum est". Hermannus vocem *propterea* ad suicidium referendam esse censebat: „Nullum enim", inquit, „de poenis aliquid statuendi erat Procuratoris officium, sed Proconsulis"; sed, si Procuratori Principis poenam

---

[1] p. 28. [2] p. 25 sq. [3] p. 19. [4] p. 26 sqq. [5] L. II Cod. ubi caus. fisc.

agnoscere non competebat, quo modo hoc rescriptum bonorum publicationem, tanquam suicidii poenam, a Proconsule, qui plenissimam jurisdictionem habebat ([1]), ad Procuratorem, qui nec exigere poenam desertae accusationis, nec ita judicare ut ea inferretur sua sententia poterat ([2]), deferendam esse statuerat? Vox autem *propterea* non ad priora verba *mortem sibi conscivit*, sed ad totam periodum *mortem sibi conscivit metu alicujus poenae* referenda est, ceteroquin enim supervacaneae essent posteriores hae tres voces; quod vero maximi momenti est, ipse adeo Hermannus pugnantia loquitur; fatetur enim bonorum publicationem, nisi ab initio, a D. Pii saltem temporibus, unice constitutam fuisse in suicidam reum eorum criminum, quae post accusationem sequeretur bonorum publicatio ([3]). — Refutatis adversariorum sententiis, sensum rescripti eo redire contendimus: Si pater metu criminis se interficit, de crimine nulla quaestio oritur; habemus enim confitentem reum; certa est etiam poena mortui, constitutae scilicet legibus sunt poenae quae post mortem vim suam exserant; constat igitur an bonorum publicatio obtineat, quaeritur unice de bonis; quae quaestio non pertinet ad Proconsulem, sed ad Procuratorem ([4]).

([1]) L. VII, § 2 D. de off. proc. et leg. ([2]) L. III Cod. ubi caus. fisc. Cf. L. IV et V eod. ([3]) p. 23, 28. ([4]) L. IX princ. D. de off. proc. et leg.: „Sane, si fiscalis pecuniaria caussa sit, quae ad Procuratorem Principis respicit, melius fecerit, si abstineat".

In similem errorem Hermannus ([1]) incidit in interpretatione L. III, § 2 D. *de bon. eor.:* „D. Pius rescripsit, eum qui modici furti reus fuisset, licet vitam suspendio finierit, non videri in eadem caussa esse, ut bona heredibus adimenda essent: sicut neque ipsi adimerentur, si compertum in eo furtum fuisset". Ex qua lege Hermannus, quum constet eo tempore reum modici furti non tam gravi poena affectum fuisse, ut inde aliqua de publicandis furis bonis quaestio oriri potuisset, apparere censet non de publicatione bonorum propter furtum, sed propter furis autochiriam fuisse quaesitum. Hermanni objectionem vanam esse facile intelligemus, si hunc legis tertiae locum sequenti paragrapho jungamus; furtorum autem tot sunt genera, ut gravitate sua facile fieri potuissent crimina, in quae bonorum publicatio constituta erat, quod ex adjectione vocis *modici*, quae ceteroquin nullius momenti esset, colligitur; juris igitur imperitus dubitare poterat, an furtum commissum iis criminibus esset accensendum, in quae bonorum publicatio lege sancita erat. Negat Imperator bona heredibus adimenda esse, sed non tantum negat, verum etiam addit: „sicut neque ipsi (furi) adimerentur, si compertum in eo furtum fuisset"; quibus D. Pii rescripti verbis, ut omne dubium tollatur, haec deinceps adjungit Marcianus ([2]): „Ergo ita demum dicendum est, bona ejus, qui manus sibi intulit, fisco vindicari,

---

([1]) p. 21. ([2]) L. III, § 3 et 4 D. de bon. eor.

si eo crimine nexus fuit, ut, si convinceretur, bonis careat. Si quis autem taedio vitae vel impatientia doloris alicujus vel alio modo vitam finierit, successorem habere Divus Antoninus [1] rescripsit".

Quum interpretes, sive totam jurisprudentiam Romanam sive singulorum ICtorum vitam et scripta exponerent, plerumque contenderent juris Romani praecepta, nisi omnia, maximam saltem partem e philosophia Stoica esse repetenda, agitata in primis quaestio est, num haec de morte voluntaria sententia Stoica potius quam Romana dicenda sit. Ipsam quaestionem, num vel quatenus philosophia Stoica jurisprudentiae Romanae fundamentum dicenda sit, quae et latissime patet et hujus loci non esse videtur, non attingo; monnisse sufficiet, cum ex iis quae in priori nostra disputatione de Stoicorum placito περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς probare conati sumus, tum ex hac de Romanorum sententia disquisitione illud elucere, utramque de morte voluntaria sententiam nihil commune habuisse. Ut enim interpretes, huic opinioni sub Imperatoribus jure Romano in suicidium poenam fuisse constitutam nimis inhaerentes, non animadverterunt Romanos a primis inde rei publicae temporibus, diu igitur antea quam iis innotuerat philo-

[1] Hunc non fuisse D. Pium, sed Antoninum Caracallam, cum e toto contextu, tum ex oppositione rescriptorum utriusque satis apparet. Cf. J. A. Bachius, Hist. Jurispr. Rom. L. III, c. II, § 2, p. 402.

sophia Stoica, in iisdem principiis, suicidium nec moraliter turpe habendum nec poena esse coërcendum, stetisse, leges vero e principum Romanorum consuetudine mortem, ut supplicii ignominiam fugerent, sibi inferendi sponte fluxisse, ita nitebatur tota haec sententia maxime praejudicata illa opinione Stoicam philosophiam in primis suicidio favisse variasque ob caussas illud concessisse. Quum igitur interpretes caussarum distinctionem in Imperatorum rescriptis animadverterent, suicidium jure Romano, invalescente Stoicae philosophiae studio, alias ob caussas concessum, ob alias poena prohibitum fuisse censerent, continuo opinabantur hanc caussarum distinctionem e philosophia Stoica esse repetendam ([1]), neque

---

([1]) Falsam hanc opinionem propugnarunt Cujacius, Obss. XXVI, 40, opp. Tom. II, P. II, p. 757, Lud. Car. Andreae, de jurispr. hypoth. seu phil. vett. ICtorum, § 34, p. 32 sqq., Just. Henn. Boehmerus, progr. de phil. ICtorum Stoic. (apud Slevogtium, de sect. et phil. ICtorum, p. 190 sq.), Joh. Sam. Heringius, de Stoic. vett. rom. jurispr. (apud Slevogtium, op. l. p. 412 sqq.), Ever. Otto in Papiniano, c. IX, § 7, in orat. I de Stoic. ICtorum phil., diss. jur. publ. et priv. P. I, p. 600, orat. III de vera ICtorum phil., ibid. p. 689, van Hoogwerff, de var. jur. rom. part. Stoam redol. c. 3, § 15 (apud Oelrichs, thes. nov. Vol. III, Tom. II, p. 97 sq.), Eckhard, Herm. jur. Lib. I, c. 4, § 138, Merillius, Obss. I, c. 23, p. 24, Neap. 1720, 's Gravesande, de autoch. c. IV, p. 12, Jo. Gottfr. Schaumburg, de jurispr. vett. ICtorum rom. Stoic. p. 128 sqq., ab Oosten de Bruyn, op. l. p. 63 sqq.. Optime rem exposuit J. Messchert van Vollen-

intelligebant eam in ipsa rerum natura esse positam, nec magis familiae Stoicae quam alii cuidam philosophorum sectae tribuendam; sed, alienam ab ipsius philosophiae Stoicae principiis, Stoicorum demum, eorum maxime qui Romanorum principiis imbuti erant, erroribus in eorum philosophiam irrepsisse.

Haec juris ratio, qua in ipsum suicidium neque jure civili neque militari ulla poena erat constituta, in imperio Romano viguit ad ea usque tempora, quibus, invalescente religione Christiana, ipsa suicidae actio moraliter turpis haberi et, in dies crescente ecclesiae auctoritate, novis legibus coërceri coepit ([1]); de his igitur deinceps videamus.

De jure Ecclesiastico.

Jus ecclesiasticum, a juris Romani principiis prorsus recedens, suicidium non tantum non licitum, sed tanquam turpe facinus pietati erga Deum repugnans infamia post mortem notandum censebat ([2]). Licet in codice sacro nullus locus

---

hoven, de exig. vi quam phil. graec. habuit in efform. jurispr. rom. p. 112 sq., 131 sqq., Amst. 1834. ([1]) Memoratu dignum est Diocletiani et Maximiani rescriptum, L. XII Cod. de accus. et inscr.: „Factum sponte se praecipitantis innocenti criminis periculum afferre non potest"; tanquam ultimum antiquae jurisprudentiae Romanae in suicidas vestigium. ([2]) Cf. Rolandus a Valle, Cons. Vol. III, cons. 20, nº 13 sqq., ubi qui se ipsos occidunt dicuntur omnis fidei expertes, ipsumque suicidium crimen enorme,

occurrat, quo suicidium diserte improbetur, ipsum adeo facinus Judae Iscariotae, qui poenitentia ductus quod Christum prodiderat se suspendit, simpliciter narretur ([1]); ipsa tamen vis religionis Christianae cum doctrina morali arctissime conjunctae, moralia codicis sacri praecepta, doctrina de divina providentia, cujus mandata transgredi non licet, placitum de animorum immortalitate, cogitatio de vita praestantiore post hanc vitam, in qua remuneratio exspectanda nobis erit, haec omnia tot remedia erant in mortem voluntariam ([2]). Dolores adeo, vitae calamitates e religionis Christianae praeceptis non mala, sed virtutis exercitatio, verae animi felicitatis fons esse censentur ([3]).

Patres ecclesiae, licet omnes mortem voluntariam improbandam, turpissimum adeo facinus esse ducerent, eatenus tamen dissentiebant, num exceptio-

---

gravissimum et detestabile, inferens genus mortis prae ceteris miserrimum multoque atrocius, quam si per alium inferatur. ([1]) Matth. c. 27, v. 5, et Kuinoelius ad h. l., hist. Apost. c. 1, v. 18. Cf. Zyro, wissensch. prakt. Beurth. des Selbstm., S. 121, qui improbationis notas, quae in versibus sequentibus 20 et 25 occurrunt, minus ad Judae proditionem quam ad ejus suicidium referendas esse censet; an vere statuerit equidem dubito. ([2]) Cf. Nob. de Staël Holstein, Oeuvr. compl. Tom. III, de l'infl. des pass., p. 331. ([3]) Cff. Reinhard, Syst. der Christl. Moral, § 133, Flatt, Vorl. über die Christl. Moral, S. 617 ff., Tubing. 1823, Michaëlis, l.l., Staeudlin, Gesch. der Vorst. u. Lehr. vom Selbstm., S. 85 ff., Domela Nieuwenhuis, de αὐτοχ. fac. ex rel. Christ. praec. et ind. jud., P. II, c. 1, p. 26 sqq., Zyro, op. l. p. 115 sqq., N. Allg. D. Bibl., Bd. I, S. 487 folg.

nes essent admittendae. Factum ita est ut, quum codex sacer de voluntaria morte nihil praeciperet, quin exemplis eam commendare videretur, recentiores suicidii patroni vulgo arguerent, quosdam e veteribus sacris scriptoribus non adeo dissuasisse mortem voluntariam, reliquos vero suam doctrinam non e scriptura sacra, sed e Platone aliisve philosophis hausisse; neque negari potest multos ecclesiae Patres, Eusebium (1) († 340), Ambrosium (2) († 397), Chrysostomum (3) († 407), in primis vero Hieronymum (4) († 420), quum suicidium virginibus in castitatis praesidium concederent easque in martyrum numerum referrent, incautius esse locutos. Augustinus († 430) adeo, licet hanc quaestionem ceteris accuratius indagaverit, in nonnullorum offensam paene incidit, se de virginibus, quae, ne peccato delectarentur, propria manu mori maluerunt, lenius judicasse (5).

Justinus Martyr, D. Pii aequalis, qui inter ecclesiae Patres primum locum tenet, quum

(1) Hist. eccl. VIII, 12, de vita Const. I, 34. (2) De Virg. II, 4. Cff. Baronius in annal. ad a^um 309, XV, Korthold, de pers. eccl. prim. sub imper. ethn., Pers. X, nº 37, p. 465. (3) De Pelagia virg. et mart., Tom. II, p. 565—591, de Berenyce et Prosdoce, Tom. II, p. 644, de Droside mart. Tom. II, p. 690, Laud. omn. mort. Tom. II, p. 711—716 ed. Montf. (4) Adv. Jovin., Tom. II, p. 308 sq., comm. in Jonam, c. I, 12, Tom. VI, p. 402 edit. Vallars., qui summa admiratione prosequitur virgines Milesias easque pudicitiae caussa manus sibi intulisse contendit. (5) De Civ. Dei, I, 26. Cf. Barbeyracius, in praef. ad Pufendorfium, de jur. nat. et gent., § IX.

mortem voluntariam, tanquam generis humani, ipsius divinae doctrinae propagationi perniciosam, rejiceret, eos demum probabat, qui, si inter mortem omnemque sacri evangelii abnegationem eligendum esset (1), e vita cedere non recusassent. In eandem sententiam abiit Clemens Alexandrinus (2), eos laudans qui ex amore in Deum lubentissime hac vita exsolvantur, gratias reddentes, cum Deo qui hinc exeundi caussam praebuerit, tum ei qui ipsis insidias molitus sit.

Plerique decalogi praeceptum, *non occides* (3), non tantum ad homicidam, verum maxime ad suicidam referendum esse censebant; oblique per analogiam illud interpretati sunt Chrysostomus (4) et Lactantius (5), directe vero Augustinus (6); omnes tamen suicidium, quum a solo Deo vindicetur, caede aliorum majus scelus esse sibi persuasum habuerunt. Lactantius, qui doctrinae Christianae Platonica immiscuisse videtur, Zenonem, Cleanthem, Chrysippum homicidas vocare non dubitat. Acerrime vero in suicidas in-

---

(1) Apol. I, 44 sqq., p. 69 sqq., dial. cum Tryph. c. 8 et 9, p. 110, Par. 1742. Cff. Appiano Buonafède, hist. crit. et phil. du suic., p. 227 suiv. et Note R, p. 410 suiv., Paris, 1841, Barbeyracius, op. l. § XI. (2) Strom. IV, p. 569 sq. ed. Pott. (3) Exod. c. 20, v. 13. (4) Comm. ad Galat. c. I, Tom. X, p. 664 ed. Montf. (5) Div. Inst. III, 18. (6) Epist. 204, de patientia, c. 13. Augustini sententiam confutavit Robeccius, de εὐλ. ἐξαγ. p. 109 sqq., 275 sq.; cujus tamen judicium, justo iniquius, merito exagitavit Funccius in anim. suis ad h. l.

vectus est Anonymus apud Originem (¹), qui eos numquam requiem habituros, in infinita secula refrigerium numquam inventuros, eorumque animas mox, ut de corpore exierint, in tenebras deductum iri existimat.

Augustinus demum quaestionem altius indagavit, ejusque auctoritate factum maxime esse videtur, ut suicidae a Christianis summo tegerentur opprobrio. Si homicidium lege jubente a magistratibus vindicetur, aeque vindicandum esse censet suicidium; hoc enim semper ignaviam ingeniumque pusillum prodere; praestantioris vero fortiorisque animi esse vitae calamitates aequo animo ferre quam eas rejicere morteque aufugere; improbat igitur mortem Catonis, probat constantiam Reguli; non enim peccato malum esse fugiendum vel bonum assequendum, neque decere insontem se interficere ne a sonte vel nefario homine interficiatur, vel committere peccatum ne ab alio peccatum committatur. Pudicitiam vocans virtutem mentis non qualitatem corporis, Lucretiae mortem voluntariam, quae ab antiquis uno ore summis laudibus tollebatur (²), opprobrio tegendam (³) easque tantum virgines sanctas, quae divino jussu se immolasse dicantur, eodem jussu colendas festaque in earum memoriam celebranda esse statuit (⁴).

Patet igitur ex his ipsos Patres ecclesiae mortem voluntariam suicidis nonnumquam condonandam,

(¹) In comm. in Jobum, Orig. opp. Tom. II, p. 892 ed. de la Rue. (²) Cf. Livius, Hist. I, 57—60. (³) De Civ. Dei, I, 19. (⁴) I, 17—26.

licitam adeo duxisse; cujus liberalitatis si caussam quaeramus, repetenda maxime videtur e divino quodam fervore, quo primis illis temporibus pro religione Christiana imbuebantur ejus cultores, unde metus ne in paganorum manus Christiani inciderent; inveniebant enim in ipso codice sacro exempla virorum, qui, ut Simson, in patriae salutem inimicorumque perniciem se devoverant, qui vel laudabantur vel non vituperabantur. Accedebat his falsa nonnullorum opinio, quaedam quae inviti pateremur, nt violatam pudicitiam, per se esse turpia, nisi ea praeverteremus, iisque nos incidere in satanae potestatem ([1]).

Haec Patrum ecclesiae doctrina poenarum a Conciliis, quae deinceps habita sunt, in suicidium constitutarum caussa et fundamentum fuit ipsaque tandem abiit in corpus juris canonici. In his Conciliis, quorum posterius prioris canones vel ampliabat vel aliis tantum verbis referebat, unum dominabatur principium: suicidas, quum in jura divina gravissime peccassent, non dignos esse qui in ecclesiae communione diutius retinerentur, neque, ut eorum animae in pace requiescant, preces ad Deum fundendas esse (*zielmissen*, *Seelenmessen*) ([2]); quibus precibus quum summa vis tri-

---

([1]) Eusebius, Hist. Eccl. VIII, 12. Cf. Staeudlinus, op. l. p. 106 sqq. ([2]) De hac poena vel ignominiosa sepultura, quae germanice dicitur *Todtenbann*, vide Corp. jur. can., caus. XXIII, qu. 5, c. 12. Cff. J. H. Boehmerus, jur. eccl. Prot. Lib. III, tit. 28, § 21 et 32, Eckhardt ad Schilt. Inst. jur. can. Lib. II, tit. 14, p. 3374 sq.

bueretur, pro his proximi cognati ecclesiae defunctorum nomine oblationes eleemosynarum vel donationum (*lijkoffers*, *Todtenopfer*), quarum receptio vel detrectatio communionis excommunicationisve indicium erat, facere solebant.

Poenam hanc in suicidas primum sanxit Concilium Aurelianense II ([1]), anno 533: „Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse"; quam sanctionem deinde accuratius definivit et ampliavit Concilium Bracarense II ([2]), anno 563: „Placuit ut, hi qui sibi ipsis aut per ferrum aut per venenum aut per praecipitium aut suspendium aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur". Idem constituit Concilium Autisiodorense ([3]), ut videtur anno 578; Nemausense ([4]) vero, anno 1096, et Strigoniense ([5]), anno 1114, generatim excommunicatos a sepultura ecclesiastica vel Christiana, ut dicebatur, arcuerunt; Remense, anno 1131, ad milites, qui in nundinis ad virium ostentationem mutuo congredientes occu-

([1]) Can. 15, in Mansii Concil. coll. ampl. Tom. VIII, p. 837. ([2]) Can. 16, apud Mansium, Tom. IX, p. 779. Cf. Binghamus, orig. s. antiq. eccl. Lib. XVI, c. 10, § 6, Tom. VII, p. 400. ([3]) Can. 17, apud Mansium, Tom. IX, p. 914. ([4]) Can. 16, ibid. Tom. XX, p. 937. ([5]) Synod. Strigon. nation. cap. 9, ibid. Tom. XXI, p. 102.

buerant ([1]), et ad incendiarios ([2]), Valentinum III ([3]), anno 855, et Tridentinum ([4]), anno 1563, ad eos qui in certaminibus singularibus ceciderant, tanquam sui homicidas et propriae mortis spontaneos appetitores, idem ignominiosae sepulturae genus retulerunt. Temporariam ecclesiae excommunicationem in suicidii conatum constituit Concilium Toletanum XVI ([5]), anno 693: „Duorum mensium spatio, et a catholicorum collegio, et a corpore ac Christi sanguine sacro manebit omnimodo alienus: quia oportet ut per poenitentiae censuram pristinae reddatur spei atque saluti, qui animam suam per desperationem conabatur diabolo sociare".

Quum ante seculum nonum singuli mortuos suos in proprium locum inferre solerent, ab hoc inde tempore communes areae ecclesiasticae exstrui coeperunt ([6]) omnisque sepultura quae in his areis vel in templorum atriis fiebat *honesta*, *ecclesiastica* vel *Christiana*, quae extra *agrestis* ([7]), *asinina* ([8]),

---

([1]) Can. 12, ibid. Tom. XXI, p. 460. ([2]) Can. 17, ibid. p. 462. ([3]) Can. 12, ibid. Tom. XV, p. 9 sq. ([4]) Sess. XXV, de reform. cap. 19, apud Harduinum, act. Conc. Tom. X, p. 188 sqq. ([5]) Cap. 4, apud Mans. Tom. XII, p. 71 sq. ([6]) Cff. Boehmerus, l.l., § 5, 8 sq. et in diss. de jure erig. coem. cap. 1, Eckhardt, l.l., p. 3373 sq. ([7]) In charta a[1] 1217 in diplomatibus Bajoariis apud Oefelium, Script. rer. Boicar. Tom. II, p. 103, col. 1. ([8]) In praecepto Domni Barnoini, Viennensis Archi-Episcopi, a[1] 881, in spicil. Acherian. Tom. III, p. 301 ed. Par. 1723: „anathematis vinculo innodatus, a liminibus sanctae Dei ecclesiae alienus efficiatur, et a consortio Christianorum privetur, ejusque corpus exanime *asinorum* accipiat *sepulturam*, et ipse aeterna-

canina (¹) dicebatur; quae tamen duae ultimae voces, licet antiquitus de ecclesiasticae sepulturae privatione dicerentur (²), posteriori aevo unice de omni sepulturae privatione vel de civili in suicidarum cadavera poena usurpari coeperunt (³). Condebantur suicidae in loco quodam profano, sine ullis solennibus caerimoniis vel precibus, oblationum nulla ratione habita (⁴); qui autem sacro quodam loco sepulti jam fuerant effodiendi et projiciendi erant, ut defuncti memoria infamia notaretur, viventibus terror injiceretur (⁵). Cadavera vero neque humari neque terra tegi, quo supplicii genere judices civiles vulgo ea affecisse novimus, ecclesia vel canones numquam decre-

---

rum flammarum incendiis miserabiliter torqueatur". In charta Herivei, Archi-Episcopi Remensis, in Concilio Remensi aⁱ 900, Mansi, Tom. XVIII, p. 184: „sepultura *asini* sepeliantur, et in sterqnilinium super faciem terrae siut, ut sint in exemplum opprobrii et maledictionis praesentibus generationibus et futuris". Cf. Dufresnii glossarium latin., voce *imblocatus*. (¹) Cff. Glos. can. placuit, caus. XXIII, qu. 5, Roma. sing. 264, incip. fui interrogatus, Jacobin. de sanct. Georgio, Tract. de feud. §. dictique vasalli, nº 19. (²) Cff. Benedictus, Repet. cap. Raynutius extr. de test., verbis: mortuo itaque testatore I, nº 72, Boulenzius, Repet. super l. capit. D. de poen., nº 86, Rolandus a Valle, Cons. Vol. III, cons. 20, nº 26. (³) Cff. Carpzovius, jur. eccles. L. II, def. 376, nⁱˢ 10,11, Boehmerus, de jure paroch. circa sepult., Sect. IV, c. II, § 11, p. 219. (⁴) Cf. Boehmerus, jur. eccl. Prot. l.l., § 21 sqq. (⁵) Gregorii IX Decret. Lib. III, Tit. XXVIII, c. 12. Cf. Decianus, Pract. crim. L. IX, c. 3, nº 3.

visse videntur ([1]). Hoc ignominiosum sepulturae genus in Germania receptum quoque fuit a Protestantibus, nimium forsan in rebus sepulcralibus juri pontificio adhaerentibus ([2]).

Nonnulli sepulturae ignominiosae nomine asininae designationem repetunt e loco quodam codicis sacri veteris ([3]), quo de Jojachimo, Judaeae rege, dicitur eum velut asinum sepultum, protractum et extra Hierosolymorum portas putredini commissum iri; quod commentum, licet argutum esse fatear, nimis tamen quaesitum mihi videtur; missis igitur his argutiis rem nobis ita proponamus. Omnis poena, quam in suicidas ecclesia constituit, nihil aliud erat quam excommunicatio; quae enim aedes locaque sacra vivis, areae ecclesiasticae erant mortuis; quum idcirco ecclesia eos, qui dum viverent in eam deliquissent, excommunicaret vel a communibus sacris arceret, inde sequebatur eos, qui ipso genere mortis eligendo peccassent, eadem poena esse afficiendos et a communibus sacris mortuorum cadaveribus destinatis, areis ecclesiasticis, esse arcendos ([4]), secundum juris canonici paroemiam: „Quibus non communicamus vivis, iis nec com-

([1]) Cff. van Espen, jur. eccles. univ. Tom. II, P. II, Sect. IV, Tit. VII, p. 166 *b* et quos citat Farinacius, opp. crim. P. V, qu. 128 de homicidio, n[is] 16 sq. ([2]) Boehmerus, jur. eccl. Prot. l.l., § 17 et jur. par. l.l. ([3]) Jeremia, c. 22, v. 18, 19. Cf. J. G. Eckhard, vom Esels-Begräbniss, comm. lat. ad h. l., Lips. 1716. ([4]) Sexti decret. L. V, Tit. II de haer., c. 2, Tit. VII de priv., c. 8, Clem. L. III, Tit. VII de sepult., c. 1.

municamus mortuis" ([1]). Poenae igitur origo erat simplicissima, ex ipsa rei natura repetenda.

Ex his principiis ortum est, seculo duodecimo (1127—1151), corpus juris canonici. Gratianus, quum se ipsum perimere nullius legis auctoritate alicui concessum esse censeret, in decretum ([2]) retulit Augustini ([3]) sententiam: „Qui se ipsum occidit homicida est; hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem spontaneam mortem sibi inferre debere"; eam tamen mitigans Hieronymi ([4]) temperamento: „absque eo ubi castitas periclitetur" ([5]); quam rursus exceptionem rejiciendam duxit posterius jus canonicum. In decretalibus enim Gregorii IX virgini, quae ut violatoris persecutiones fugeret a ponte ceciderat, sepultura ecclesiastica ideo tantum concessa est, quia non sponte se dejecisse, sed fortuito decidisse dicebatur ([6]). Ob similem caussam ejus, qui in puteo mortuus reperiebatur, cadaver honesta sepultura gaudebat; quum ab alio in eum conjectus praesumeretur ([7]).

([1]) Caus. XXIV, qn. 2, c. 3. Cf. Boebmerus, l.l., § 24, 28 sq. ([2]) Caus. XXIII, qu. 5, c. 9. ([3]) De Civ. Dei, I, c. 17 et 18. ([4]) In Jonam, l.l. Cf. Barbeyracii, in Praef. ad Pufend. de jur. nat. et gent., § IX, sententia cum contorta Buonafedae, op. l. p. 234 sqq., hujus loci interpretatione, qui praepositioni *absque* non oppositionis, sed confirmandi vim tribuit. ([5]) Caus. XXIII, qu. 5, c. 11. ([6]) Lib. III, Tit. XXVIII de sepult., c. 11, Innocentii III, a° 1190, ad Archi-Episcopum Turonensem. ([7]) Cff. Dida, var. resol. L. II, c. 1, Barbosa, de offic. paroch. c. 26, n° 49, Weistnerus ad decret. III, 28, n° 7.

Nonnulli, ut Zyro ([1]), Schmalz ([2]) et von Grolmann ([3]), contendunt jus canonicum juris Romani distinctionem tenuisse et sepulturam ignominiosam unice spectasse eorum cadavera, qui poenae metu manus sibi intulerint, ceteros vero suicidas plerumque tanquam insanos omni post mortem infamia immunes fuisse; Grolmannus adeo censet ecclesiam catholicam sepulturam ignominiosam infligere, Protestantes Christianam recusare numquam potuisse, nisi poenae metu aliquis se interfecerit. Equidem valde dubitem an unquam jure canonico juris Romani distinctio fuerit recepta; suicidii vero caussam, ut poenae austeritas eluderetur, saepe sub insaniae praetextu latuisse, facile concedo. Italorum saltem ICtorum vulgaris sententia erat, non ejus qui propter taedium vitae vel impatientiam doloris, sed unice ejus qui propter furorem fata properasset, cadaver sepultura ecclesiastica gaudere ([4]).

Ut a primis ecclesiae temporibus acerrimum fuit suicidium vindicandi studium, ita eadem hac aetate, in primis seculis tertio, quarto et quinto, exstiterunt variae sectae, schismata haereticorum ut vulgo dicuntur, quorum dogmata mortem voluntariam tanquam virtutem commendabant. Manichaei seculo tertio in Asia, maxime vero in regno Persarum ([5]), ex iisque orti seculo quarto Patri-

---

([1]) Op. l. p. 150 sq. ([2]) Kanon. Recht, § 201, Aufl. 3. ([3]) Dr. Joh. Aug. von Grolmann, Grunds. des allg. Kirchenrechts, § 216, 244, Frankf. a. M. 1832. ([4]) Cf. Farinacius, l.l., n[is] 17 sq. ([5]) Cf. de hac secta Analyse

ciani [1] et Priscillianistae in Hispania [2], existimabant corpus humanum tot vitiis obnoxium, durum illum animi carcerem, hanc carnis humanae substantiam, non divinae providentiae cura, sed a pravo quodam daemone esse creatam; factumque ita est, ut multi voluntaria morte hac corporis mole se liberarent; nonnulli adeo, ut Encratitae et Priscillianistae, inedia mori quam animal, quod a malo Deo esse dicebant, vulnerare malebant. Maximas vero in ecclesia turbas, in primis in Africa, concitarunt Donatistae [3], ineunte seculo quarto, quibus postea se adjunxerunt Circumcelliones vel Circuitores [4]. Inter hujus utriusque sectae dogmata commendatio suicidii primum locum occupabat, ad quod non tantum alios velut ad officium excitabant, sed mortem adeo, nisi sponte eam sibi inferrent, his minitabantur [5]. Licet Donatistae, in primis post Concilium Car-

---

de Bayle, Tom. IV, p. 265 suiv. [1] Ambrosius, comm. in Epist. ad Timoth. I, c. 4, August. de haer. c. 61. [2] Cf. Baylius, op. l. Tom. V, p. 279 sqq. [3] August. Epp. 51 sqq., 61, 93, 108, 112, 173, 185, 204, de haer. c. 69, brev. coll. cum Don. Coll. III, c. 8, cont. Gaudentium Don. episc. I, 27, 28, Theodor. de fab. haer. IV, 6. Cff. Optatus, de schism. Donat. et monum. vett. ad Donat. hist. pert., opera Dupini, Paris 1702, Robeccius, de εὐλ. ἐξαγ. p. 283 sqq., in primis p. 293 et 298, Pluquet, dict. des hérésies, art. *Donatistes.* [4] August. Ep. 88, cont. Don. epist., de unit. eccl. c. 19, cont. Cresconium Don. III, 42 sq., cont. Gaudentium, I, 28, 29, Isidor. de offic. eccl. II, 15, p. 405 *G*, Colon. Agripp. 1617. [5] August. de haer. c. 69.

thaginiense, ex Honorii rescripto ([1]), quo ab hereditatibus capessendis arcebantur, ipsa testandi facultas iis adimebatur eorumque antistites bonis avitis exuti deportabantur, ecclesiae persecutionibus exasperarentur; alia tamen mortis sibi inferendae iis caussa erat, ut ipsi ob commissa peccata poena se afficerent, vindictam divinam averterent, peccatorum remissionem consequerentur et martyrum instar morerentur; quod placitum ipsa codicis sacri auctoritate, Rhazis scilicet exemplo, tueri solebant. Hinc quoque, ut ab aliis interficerentur, paganorum templa, altaria, simulacra diruebant, dum a judicibus poscerent ne ullam in supplicio exsequendo moram facerent; peregrinatores in itinere retinebant muneribusque vel minis eo adducebant, ut ipsi, ut mors sibi inferretur, peterent.

Monachorum institutio in ipsa ecclesia mortis voluntariae saepissime caussa fuit. Monachi, quum in dies cresceret eorum vitae austeritas, corpora variis modis torquebant, cibi somnique abstinentia debilitabant, radicibus adeo herbisque vitam sustentabant, insultabant omni coeli aërisque tempestati, et, quum alii alios morum severitate, corporum cruciatibus superare studerent, tormentis mortem sibi parabant; nonnulli, ut Anachoretae in Aegypto, ne in peccata inciderent, ne vitae illecebris succumberent, fame, laqueo, praecipitio

([1]) Harduin. Cons. coll. Tom. I, p. 1043 sqq., Coll. Carth. ad a^um 411.

vitae finem imponebant; alii, ut Carthusiani in urbe Roma, mutuo e vitae taedio manus sibi inferebant; ita ut quot fanatico illo furore ducti fata sua properaverint dici vix possit [1].

De jure Italico, Hispanico, Lusitanico.

Juris ecclesiastici in suicidarum cadavera praecepta prae ceteris servarunt populi catholici Europae meridionalis, Itali, Hispani, Lusitani; in Hispania adeo, in qua regione ceteroquin tot homicidia quotannis committuntur, metus ille ne sacramentis post mortem destituantur, multos a sui ipsius nece retinet.

Apud ICtos Italos haec vigebat sententia, delictum quoad poenam corporalem morte exstingui [2], ecclesiae vero excommunicatione non corpus sed animam poena affici, hanc igitur post mortem imponi posse [3] suicidarum cadaveribus; et, prouti clericus, qui se interficiendi consilio in corpus suum saevit vulneraque sibi infert, ecclesia excommunicatur, ita quoque tam clericum quam laicum area ecclesiastica excommunicari si se inter-

---

[1] Cff. Gregorius Nazianzenus, opp. Tom. II, carm. 47, p. 106 edit. Morell., Par. 1630, Zimmermann, von der Einsamkeit, Bd. II, S. 126, 273. [2] Cff. Corneus, Cons. Vol. II, cons. 193, n° 7, Cinus ad L. II Cod. qui test. fac. poss., Decius, eod., n° 11. [3] Decius, l.l., n° 3, Jason a Mayno, eod., n° 2, Franc. Marcus, Decis. Parl. Delph. P. II, quaest. 879, n° 5, Rolandus a Valle, Cons. Vol. III, cons. 20, n° 26.

ficiat ([1]). Memoratur quidem civile quoddam supplicium, in Italia suspensio cadaverum eorumque anatomiae traditio, in Hispania ignominiosa post mortem concrematio; sed hae in cadavera suicidarum exsecutiones, judicis arbitrio relinquendae ([2]), numquam exercebantur, nisi suicida, dum viveret, *enormiter* deliquisset ([3]); non igitur erant poenae in suicidium, quum, ut ait Decius ([4]), de novo poena post mortem imponi non possit, in vita vero demum imposita post mortem maneat, sed unice sequelae criminis, cujus conscientia suicida vitae suae finem imposuerat, ut diserte Clarus ([5]), qui, cum alios qui pendente processu se interfecerant, tum maxime Ludovicum quendam Berguminum, qui post delictorum confessionem se ipsum in carcere strangulaverat, se in furca suspensos vidisse referens, contra Ignei ([6]) sententiam, „ haec" inquit, „ practica apud nos non servatur, nisi id faciant pendente processu in carcere ex-

---

([1]) Carerius, pract. crim., § homic., Tract. II, n[is] 52, 54, 124, Farinacius, opp. crim. P. V, qu. 128 de homicidio, n° 25 ibique citati, Hipp. de Marsiliis, pract. caus. crim., § aggredior, n° 17, Marcus, l.l., n° 6. ([2]) Baldus, ad L. II Cod. qui test. fac. poss., n° 2, Decius, cod., n° 8, Farinacius, l.l., § 10, Menochius, de arbitr. jud. quaest. Lib. II, Cent. III, casu 285, n° 7. ([3]) Gigas, tract. de crim. laes. majest. L. II, Tit. de poen. comm. crim. laes. majest., qu. 33, n[is] 6 sq., Gomezius, var. resol. Tom. III, c. I de delict., n° 79. ([4]) ad L. II Cod. qui test. fac. poss., n° 11. ([5]) Sent. Lib. V, § Fin. pract. crim., qu. 51, n° 15. ([6]) Ad L. I, § 22 si sibi manus D. ad Sen. Sil., n° 21.

sistentes, nam eo casu praesumuntur id fecisse *conscientia proprii sceleris;*" quam praxin confirmant testimonia Deciani [1], Farinacii [2], Gigantis [3], Menochii [4], Peregrini [5].

Suicidii conatum puniendum esse vulgo sentiebant ICti Itali, de genere poenarum unice dissentiebant; alii poenam capitis imponendam esse [6], alii eandem poenam qua afficiendus esset is qui alium vulnerasset [7], alii denique rem judicum arbitrio relinquendam esse [8] ducebant. In Hispania vero vulgo conatui ex judicis arbitrio imponebatur poena extraordinaria [9].

Quum ICti Itali juris Romani normam quoad bonorum publicationem presse sequerentur, eam numquam, nisi quis sceleris conscientia manus sibi intulisset, imponi posse ducebant, eatenus dissentientes num veteris juris Romani regula [10], an jus

---

(1) Pract. crim. Lib. IX, c. 4, nº 14. (2) Opp. crim. P. I, Lib. I, Tit. I, qu. 10, nº 80, P. V, Tit. XIV, qu. 128, nº 11. (3) l.l. (4) Op. l. casu 283, nis 5 sqq. (5) De jur. fisc. Lib. IV, Tit. IV, nº 10, Tit. V, nº 2, vers. amplia. (6) Cff. Clarus, l.l. qu. 68, nº 37, qui tamen testatur generali consuetudine invaluisse, nisi effectus vel mors sequatur, conatum non puniri, Grammaticus, Decis. 44, nº 4, Decianus, l.l., c. 3, nº 4, Farinacius, l.l., qu. 128, nº 36. (7) Cff. Fr. Curtius Junior, cons. 182, nº 3, Menochius, casu 284, nº 22 ibique citati. (8) Carerius, l.l., nis 53, 127. Coll. Farinacio, l.l., nº 37. (9) Gomezius, var. res. Tom. III, cap. III, de homicidio, nº 14, vers. sed advertendum, Placha, epit. delict. Lib. I, c. 23, nº 19. (10) Cff. Corneus, Cons. Vol. II, cons. 195, nº 11, Decius, cons. 438, Farinacius, l.l., nº 51, Menochius, l.l., nº 32, Parisius, Cons. Vol. IV, cons. 153.

Justinianeum authentica de bonis damnatorum ([1]), qua, nisi suicida laesae majestatis reus esset, omnis bonorum publicatio abrogata est, si quidem adscendentes, descendentes et e latere usque ad tertium gradum superessent ([2]), servandum esse videatur. Quod si de praxi quaeramus, in Italia bona, ut testatur Carerius ([3]), regulariter non publicabantur; Hispani autem a juris Romani principiis recesserunt constitutione regia ([4]), qua cautum ut, si quis e conscientia sceleris aut taedio vitae aliave e caussa manus sibi intulisset, ejus bona fisco vindicarentur, nisi liberos tanquam heredes legitimos haberet. Bonorum vero publicationem propter suicidii conatum ii tantum admittebant ICti Itali, qui conatum eadem poena atque suicidium consummatum afficiendum esse ducebant ([5]). Inter omnes scilicet hac de re convenit, eum, qui nullo delato crimine, sed e corporis dolore, taedio vitae, furore, insania aliave e caussa mortem sibi conscivisset, tam ab intestato quam e testamento successorem habiturum ([6]), quod si vero cum e taedio vitae tum e conscientia sceleris in semetipsum saeviisse dice-

([1]) L. ult. Cod. de bon. proscr. s. damn. ([2]) Cff. Cinus, Decius, Jason et Barth. de Saliceto ad L. II Cod. qui test. fac. poss., Farinacius, l.l., n[is] 95 sq., Gigas, l.l., n° 10. ([3]) Pract. crim., § homicid., Tract. V, n[is] 29 sq. ([4]) Recopil. Libr. VIII, Tit. XXIII, leg. 8. Cf. Did. Covarruvias, var. res. Tom. II, Lib. II, c. 1, n° 11 ([5]) de Belvisio, pract. L. III, c. 18 rubr. de bis qui sibi mort. consc., n° 36 rumpi testamentum. ([6]) Farinacius, l.l., n° 71, Corneus, Cons. Vol. II, cons. 195, n° 11.

retur, praesumtionem pro reo esse ejusque bona non publicari ([1]), nisi fiscus contrarium probasset ([2]). Quum denique crimen haereseos ad cognitionem jurisdictionis ecclesiasticae pertineret, constitutum erat ut, si quis hoc crimine accusatus in carcere fata properasset, ejus bona non publicarentur, nisi Inquisitor haereticae pravitatis et Episcopus suam declaratoriam sententiam protulissent, quam si edixissent, nullo exspectato ecclesiasticorum jussu, judici bona, quae ad dominum temporalem, in cujus jurisdictione sita erant, pertinebant, huic vindicare licebat ([3]).

De jure Gallo-Francico.

Apud antiquos Gallos familia ejus qui mortuus erat in ejus rogum se conjicere solebat, ut eum in vitam futuram comitaretur. Caesar in bello Gallico ([4]) refert, apud Sotiates, Aquitaniae populum, fuisse sacram quandam cohortem amicorum, quos Soldurios appellabant, quorum haec erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruerentur, quorum amicitiae se dediderint, quod si vero his aliquid per vim accidisset, aut eundem casum una ferrent, aut sibi mortem conscicerent; neque adhuc hominum memoria repertum fuisse quemquam, qui, eo interfecto cujus se amicitiae devovisset, mori recusasset.

([1]) Farinacius, l.l., nº 74. ([2]) Decius ad L. II Cod qui test. fac. poss., nº 16. ([3]) Rolandus a Valle, l.l., n[is] 9 sqq. Coll. Gundisale, tract. de haer. c. 22. ([4]) III, 20, 21.

Haec de antiquis Galliae incolis. A primis vero Francorum dominationis temporibus in Francia viguit juris ecclesiastici in suicidas principium. Praecipuas Conciliorum decisiones reges Francorum in Capitularia sua receperunt; verbotenus in iis invenimus decisiones Conciliorum Bracarensium ([1]) et Autisiodorensium ([2]); ipsius Caroli Magni Capitulare ([3]): „ De eo, qui semetipsum occidit aut laqueo se suspendit, consideratum est ut, si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat, et orationem in psalmodiis faciat. Oblationibus tamen et missis ipsi careant; quia incomprehensibilia sunt judicia Dei et profunditatem consilii ejus nemo potest investigare", verbis tantum, non re ab his decisionibus recessit, et, prouti Concilia et corpus juris canonici, ita quoque Capitularia jus ecclesiasticum unice spectabant; constitutio poenae juris civilis in suicidarum cadavera aetatis demum erat serioris. Invaluit scilicet his temporibus, quibus, ut novimus, maxime viguit jus ecclesiasticum, opinio, judicium de suicidae actione, peccato in divinam providentiam, soli ecclesiasticae jurisdictioni esse mandandum.

In Francia, quum singulae fere provinciae suas

([1]) Ludovici Pii Capitulare, addit. IV, c. 81, ed. Baluz. Tom. I, p. 1209 sq. (apud Walterum, corp. jur. germ. antiq. Tom. II, p. 844). Cf. sup. p. 70. ([2]) Lib. VII, c. 442, ed. Baluz. Tom. I, p. 1123 (apud Walterum, Tom. II, p. 769). ([3]) Lib. VI, c. 70, ed. Baluz. Tom. I, p. 933 sq. (apud Walterum, Tom. II, p. 604).

leges haberent, in parte meridionali, quae regio juris scripti dicebatur, in qua juris Romani Justinianei [1] principia praevalebant, bonorum publicatio in suicidarum bona numquam inducta fuisse videtur; in septentrionali autem parte vel consuetudinaria servabantur juris Germanici principia, jus Romanum vero unice erat ratio scripta vel jus quoddam, quod in subsidium vocabatur, si consuetudo deficeret. In plerisque consuetudinibus, Ambianensi [2], Autisiodorensi [3], Barica [4], Britannica antiqua [5], Burgundica [6], Calniaca [7], Calvomontina [8], Catalaunensi [9], Meduntina [10], Meldensi [11], Montfortiana [12], Nivernensi [13], Normannica [14], Parisiensi [15], Magna-Pertica [16], Pontiva [17], Remensi [18], Saverrina [19], Senonica [20], Tricassina [21], Viromanduensi [22],

[1] Nov. XVII, c. 12, et Nov. CXXXIV, c. ult. Cff. Gothofredus ad h. l., Boërius, dec. Burdigal., dec. 264, n° 15, Heemskerk, Bat. Arkad., p. 396, not. a, Amst. 1729. [2] Cf. Dufresne, cout. d'Amiens, Tit. XI, A. 225. [3] Tit. I, A. 26. [4] Tit. II, A. 29. [5] Art. 593; e Britannica nova, A. 658 sqq., non nisi propter quaedam crimina boua publicabantur. [6] Cff. Barth. a Chassanaeo, cons. duc. Burg. fereque tot. Gall., p. 57 fol., Par. 1547, Taisand, cout. de Bourgogne, Tit. II, A. 1. [7] Tit. XXII, A. 260. [8] Tit. VIII, A. 99. [9] Cf. L. Billecard, cout. de Chalons, A. 260 suiv. [10] C. XVII, A. 193. [11] C. XXVI, A. 207. [12] C. XVII, A. 183. [13] C. II, A. 1. [14] C. IX, A. 143. [15] A. 183. Cf. Charondas le Caron, coust. de la ville, prev. et vic. de Paris, P. II, p. 40 suiv. [16] Tit. I, A. 19. [17] Tit. XII, A. 161. [18] Tit. XIII, A. 348. [19] A. 7. [20] Tit. V, A. 24. [21] Tit. VII, A. 132. [22] Tit. I, A. 11.

Victoriaca ([1]), vigebat regula: *qui confisque le corps, confisque les biens* ([2]); ex aliis, Andegavensi ([3]), Audomaropolitana ([4]), Bencarniana ([5]), Biturica ([6]), Bononiensi ([7]), Burdigalensi ([8]), Caletana ([9]), Cenomanensi ([10]), Laudunensi ([11]), Pictaviensi ([12]), Severopolitana ([13]), Turonica ([14]), vel e solo laesae majestatis crimine vel nulla prorsus bonorum publicatio recepta erat. In prioribus illis regionibus suicidarum ([15]) quoque bona publicabantur ([16]), et, quum sola laesae majestatis reorum

([1]) Tit. I, A. 17. ([2]) Cf. de la Roche Flavin, Traité des parlemens de France, Liv. XIII, ch. 69, n° 54. ([3]) Cf. Cl. Pocquet de Livonnière, cout. d'Anjou, Part. IV, A. 142, Tom. I, p. 348. An. Robertus, rer. jud. Lib. I, c. 12, sententiam refert curiae Audegavensis, Id. Febr. a[i] 1588, in cadaver suicidae ob conscientiam sceleris latam, ex qua Senatus, nulla bonorum publicationis, quae ex hac consuetudine in reos non tantum laesae majestatis, verum etiam haereseos constituta erat, ratione habita, defuncti bona legitimis heredibus adjudicavit. Cf. Choppinus, de legg. And. munic. Lib. I, Tit. III, c. 42, p. 378 ed. Par. 1600, qui apud Aquitanos regiis codicillis, Idibus Majis a[i] 1353 editis, idem principium publici juris factum esse tradit; quod tamen in inferiore tantum hujus regionis parte invaluisse testatur de la Roche Flavin, op. l. ([4]) Tit. XIX, A. 1. ([5]) Cf. Choppinus, de domin. Franc. Lib. I, Tit. VIII, n° 11. ([6]) Cout. de Bourges, des juges et leur jurisd., A. 1 et 2. Cff. Imbertus, Pract. Lib. III, c. 17, n° 6, Tholosanus, synt. jur. univ. Lib. XXXI, c. 31, n° 13. ([7]) A. 24. ([8]) Boërius, l.l. ([9]) Tit. XIV, A. 250. ([10]) A. 857. ([11]) Cap. ult., A. 1 et 5. ([12]) Tit. I, A. 200. ([13]) Tit. XIX, A. 1. ([14]) Tit. XXXVI, A. 378. ([15]) Cff. Imbertus, l.l. et Choppinus, de domin. Franciae, Lib. I, Tit. VIII, n° 9. ([16]) Publicationem in suicidarum bona diserte constituerunt consue-

tario ([1]) et Scipione Bexone ([2]) tanquam injustitia summa proponitur, qua ob crimen unius membri tota familia, nullius criminis conscia, poena afficitur, patrimoninm vivis aufertur, qui, prius insontes, ad desperationem et miseriam ducti, saepissime ipsi rursus criminis rei fiunt.

Consuetudines Normannicae, quarum Latina versio jam confecta est circa annum 1250 ([3]), perantiquae fuisse videntur; cautum iis erat ut non nisi bona mobilia vel catalla suicidae publicarentnr: „De catallis eorum, qui de se sunt homicidae — sciendum est etiam, quod Princeps Normanniae ea debet habere, nec ecclesia in eis aliquid poterit reclamare, quum animabus eorum nullum valeat subsidium impertiri. — Terris tamen propter hoc heredes non privantur: sed eorum catalla debent Principi remanere" ([4]); quam normam Ludovicus IX, a° 1270, secntus est in constitutionibus

riae Tolosanae ad hanc normam latam, d. VII Id. Dec. 1634. Similis ejusdem curiae sententia, d. IX Cal. Fchr. 1582, occurrit apud Fabrum Saniorianum, in L. factum 155 D. de reg. jur., et Charondam, resp. du droict Franç., Liv. VII, ch. 115; Brétonnier tamen, Observ. sur Henrys (Merlin, Répert. voce *suicide*) ab hac curia juris Romani distinctionem receptam fuisse censet. Cf. Louis le Grand, cout. du baill. de Troyes, Tit. VII, A. 132, Part. II, p. 161. ([1]) Comm. sur le livre des délits et des peines, Ch. XIX, Tom. XXVIII, p. 276, Prix de la just. et de l'hum., Art. V, Tom. XXVIII, p. 307, Paris 1824. ([2]) Dével. de la théor. des lois crim., Tom. I, p. 39. ([3]) Jo. Petr. Ludewig, Rel. Man. et Dipl. Tom. VII, § 22, praef. p. 50. ([4]) Lib. II, c. XXI, p. 194, § 1 et 3.

suis (Etablissemens de St. Louis (1)): „Se il avenoit que aucuns hons se pendist, ou noiast, ou s'occist en aucune maniere, si müebles seroient au baron, et aussi de la fame". His vero constitutionibus ne quis nimiam vim tribuat in jus Francicum illius temporis, monuisse juvat dominationem Ludovici IX arctissimis finibus, solis fere Parisiis, ea scilicet provincia, quae postea dicta est Insula Franciae (Ile de France), et terra Aurelianensi (l'Orléanais) fuisse circumscriptam, quibus regionibus sub Ludovici demum regno Normannia, Andegavum et nonnullae aliae regiones accesserunt. Codex vero, qui dicitur Henrici IV, a[i] 1585, auctore Brissonio, in quo titulus erat de bonis eorum qui mortem sibi consciverunt, numquam publici juris factus est neque adumbrationis formam unquam deposuit (2).

Ad antiquissimas in suicidarum cadavera in Francia poenas, praeter sepulturae ecclesiasticae denegationem, referenda est ad ignem damnatio; quae ignominia, seculo XIV cum poena ecclesiastica conjuncta, civilis poena fuisse videtur, quam regis auctoritate nonnumquam remissam esse constat (3).

---

(1) Liv. I, ch. 88: D'hons ou de feme qui se pend, ou noie, ou s'occit en aucune maniere. Cf. Bacquet, droits de just. ch. 7, nº 17. (2) Louis Charondas le Caron, code d'Henri IV, Tit. 34, L. 31, des biens de ceux qui se sont fait mourir eux-mêmes. Cf. d'Aguesseau, opp. omn. Tom. I, p. 397 sq. (3) Lit. remiss. a[i] 1381 in Reg. 119, Chartoph. reg. c. 369: „Pour la déplaisance que ladite damoiselle (Jehanne Oiselete, femme de feu Jehan le

Num vero haec poena in tota Francia fuerit recepta equidem valde dubitem, quum Benedictus, nobilissimus ille ICtus Tolosanus, tradat ([1]), in quibusdam regionibus invaluisse consuetudinem, ut se occidens quoquo modo, licet nulla adsit sceleris conscientia, non sepeliretur, sed supra postellum absque alia terrea sepultura volatilibus coeli exponeretur; in aliis vero ut in sterquilinio sepeliretur et postellum in desperationis signum desuper poneretur.

Germanicae originis, a medii aevi barbarie excogitata, erat poena cadaveri illata, Romanis prorsus ignota. Cadavera suicidarum judicio damnabantur ad supplicium, quo, pedibus ad vehiculum vincta, trahae imponebantur, pedibus sursum, capite deorsum, ita quidem ut facie plateas quasi verrerent, et a carnifice per urbem trahebantur ad supplicii locum, quo pedibus per viginti quatuor ho-

---

Riquc, demeurant à Corbie) cust de ce que elle, qui estoit do si grant lignoigc, avait espousé ledit phisicien (en secondes nocces) et que à sesdiz amis desplaisoit, par la temptacion de l'ennemi se pendi par son col et estrangla, ainsi que iceulx amis le disent; supplians que considéré .... il nous plaise ottroier que son corps ne soit *ars ou autrement exécuté* pour la canse dessusdite. Pourquoy nous,......, ottroions par ces presentes ,.... que le corps d'icelle défunte ne soit *ars*, ne *mis à exécution quelconque* pour la cause dessusdite, ainçois puist estre *enterré, comme il appartiendra et sera à faire*". Cf. Carpenterius in gloss. nov. ad script. med. aev., voce Biothanati, p. 547. ([1]) l.l., n° 30.

ras in furca suspendebantur [1]. Injuria temporum definire non licet, quando haec ignominiosa poena in suicidarum cadavera primum invaluerit; quod vero ad ipsum supplicii genus attinet, prima ejus vestigia invenimus in lege Ripuaria [2], a. 511—534 [3]: *in quadrivio cum retorta* (*wide*, vinculo quodam ligneo) *in pede sepelire.* Poenae ratio haec erat, ut, qui contra naturam peccasset, inverso quodam supplicii genere afficeretur, ejus vero memoria infamia notaretur; quum ejus cadaver in eum locum deduceretur, in quem vulgo animalium cadavera vehi solebant. Hac poena, non servata juris Romani distinctione, vulgo ii demum eximebantur qui febris vel morbi fervore, ex insania vel furore manus sibi intulissent [4]; in dubio tamen

---

[1] Anciennes cout. da Brétagne, A. 586, et nouvelles, A. 631: ,, Si aucun se tuë à son escient, il doit estre pendu par les pieds et traîné comme meurdrier". Godefroy, comm. sur la cout. reform. du pays et duché de Normandie, quem de poena ignominiosa in suicidae cadaver vide in primis p. 37, p. 234, inter virum et mulierem ratione poenae distinguendum censet: ,,il doit estre traisné sur une claye et pendu au gibet, si c'est un homme; et si c'est une femme, enfouïe en terre profane, et privée des prières de l'Eglise". Cff. de Buridan, cout. de Rheims, Tit. XIII, A. 348, p. 527, Diderot et d'Alembert, voce *suicide*, de Ferrière, dict. de droit et de prat., Tom. I, p. 682, Art. *homicide de soi-même*, Merlin, Répert. voce *suicide.* [2] Tit. LXXII, apud Walterum, op. l. Tom. I, p. 188. Cf. Grimm, deutsche Rechts-Alterth. Th. II, S. 684, 728. [3] Cf. Mittermaier, deutsch. Priv. R. Th. I, S. 5, Not. 24. [4] Cff. d'Argentré ad Art. 586 cons. gener. antiq. duc. Brit. p. 1807, Benedictus, l.l., n° 72, de Buridan,

reus vel fortuito mortuus vel e dementia mortem occupasse praesumebatur ([1]). Tota adeo accusatio frustra instruebatur, nisi prius advocatis cognatis vel heredibus, qui suicidam defenderent ([2]); qui si non adessent, instituebatur defensor, curator vel procurator, qui jurejurando obstringebatur, quae institutio in Francia perantiqua fuisse videtur ([3]); quod si de suicidae innocentia, eum scilicet e furore vel insania sui non compotem manus sibi intulisse, constaret, cadaver continuo sepeliendum erat ([4]). Quum vero accusatio in cadaver esset exercenda, quasi suicida, cujus personam curator, qui ad interrogata respondebat, adsumsisse credebatur, in vivis etiamnunc esset ([5]); si defuncti cognati vel heredes illud jam sepelivissent, supremi judices, a quibus locus, quo caedes commissa erat, describebatur, qui cadaveris a chirurgis inspectioni interesse, de vita, moribus, caussa mortis defuncti cognoscere debebant, ut illud rursus effoderetur mandabant ([6]).

Diderot et d'Alembert, de Ferrière et Godefroy, l.l. ([1]) Cf. Taisand, cout. de Bourgogne, Tit. II, A. 1, not. 17. ([2]) de Ferrière, l.l. ([3]) Cf. Paponius, Rec. d'arr. not. des courts souv. de France, Liv. XXII, Tit. X *de ceux qui se sont de certaine science precipitez*, qui, Arr. I, refert judicium a[1] 1390, quo cadaveris Prioris Sanctae Crucis Parisiis, qui se suspenderat, talis defensor institutus est. ([4]) Mornacius ad L. II. Cod. ubi caus. fisc. ([5]) Cff. Godefroy, op. l., p. 37, Mornacius, obss. in Dig. Lib. III, Tit. III, ad L. XXXIII de proc. et def. ([6]) Cf. Louis le Grand, cout. du baill. de Troyes, P. II, Tit. VII, A. 132, p. 161.

Haec institutio curatoris, qui defuncti innocentiam probaret ceteraque perageret, quae eum si in vivis mansisset facturum dicturumve esse veri simile erat, tanti momenti videbatur Ludovico XIV, ut in codicem suum criminalem (Ordonnance criminelle de 1670) singularem de hac in cadaver defunctive memoriam procedendi ratione titulum reciperet ([1]). Cavebatur ne, nisi victo curatore, judex in cadaver ejusve memoriam sententiam pronuntiaret ([2]); curatori a sententia inferioris judicis ad superiorem non tantum provocare licebat, sed etiam a defuncti cognatis, si quidem hi prius sumtus solverent, curator eo adigi poterat ([3]); tum vero penes superiores judices alium curatorem eligendi potestas erat. Haec erat praxis, quam in Francia, non tantum judices, verum etiam scriptores prioris seculi vulgo sequendam esse duxerunt ([4]).

Quod si universe de iis quae in Francia in suicidas eorumque cadavera recepta erant quaeramus, haec e trium principiorum commixtione orta mihi videntur; bonorum publicatio e prava juris Romani interpretatione, quum poenam, quae jure Romano in capitalia crimina vel facti sceleritatem erat constituta, ad voluntariam mortem referrent et

---

([1]) Tit. XXII, de la manière de faire le procès au cadavre ou à la mémoire d'un défunt. ([2]) A. 3. ([3]) A. 4. ([4]) Cff. Bacquet, op. l., c. 7, n[is] 16 sqq., de Ferrière, l.l., Merlin, Répert. voce *suicide*, Fr. Richer, Traité de la mort civile, p. 341, Par. 1755.

pro arbitrio vel e regionis consuetudine remissius vel severius interpretarentur; institutio curatoris, quod munus defuncti cognato potissimum mandabatur, ex imitatione heredum probationis apud Romanos; poena vero ignominiosa in cadavera e colluvie juris canonici et tormentorum, quae medii aevi barbaries excogitaverat.

Suicidae bonorum publicatio sensim in desuetudinem abiit; poena vero, qua ejus cadaver infamia notabatur, licet jam a nonnullis prioris seculi scriptoribus, Montesquivio (1), Voltario (2) improbaretur, viguit ad finem hujus seculi (3), evanuit scilicet, orto novarum rerum in Francia studio, secundum principium codicis poenalis anni 1795 (Code des délits et des peines du 3 Brumaire, an IV): *omnem accusationem morte solvi* (4); quod, receptum in codice criminali d. XV Cal. Dec. 1808 (5), hodie viget cum in Francia tum in iis regionibus, in quibus codex ille criminalis Francicus vel publici juris etiamnunc est vel novi codicis fons dicendus est praecipuus, ut in patria nostra.

---

(1) Lett. Pers., Lett. LXXVI. (2) l.l. (3) Pastoret, germ. Chr. D. Erhardi vers., Betracht. über die Strafges., p. 253 sq., sententiam adhuc refert, d. XIII Cal. Mart. 1772 Parisiis latam, in cadaver famuli, qui in pago quodam, S. Eustachio, mortuus erat repertus, qua illud ad poenam trabae et suspensionem in furca damnatum est. (4) Art. 7: „L'action publique s'éteint par la mort du coupable". (5) Code d'instr. crim. A. 2: „L'action publique pour l'application de la peine s'éteint par la mort du prévenu".

Cnm hac quaestione cognationis vinculo conjunctae sunt aliae, an conatus, an socii suicidii poena afficiendi sint; de quibus quaestionibus, in quibus solvendis legumlatores Francicos judici summum arbitrium fecisse miramur, obiter monuisse sufficiet ([1]).

De jure Anglico.

Juris canonici in suicidarum cadavera praecepta, quae ad ecclesiae reformationis usque tempora in Anglia viguerunt, jam seculo decimo ab Eadgaro (959—978) in hanc regionem translata fuisse constat; Eadgarus scilicet constituit: „si quis seipsum sponte occidat armis vel aliqua diaboli instigatione, non esse permissum, ut pro tali homine missae cantentur neque cum aliquo Psalmi cantu corpus terrae inseratur neque in pura sepultura jaceat sepultus" ([2]). Ceterum, teste Wilkinsio, poena autochiriae politica nullibi inter leges Saxonicas, quibus Anglo-Saxones regebantur, invenitur; etenim, licet Bractonus ([3]) jam Da-

---

([1]) Cff. Rauter, traité du droit crim., § 442, Merlin, rec. alphab. de quest. de droit, voce *suicide*, § 1 et 2, Mittermaier ad Feuerbachium, Lehrb. des peinl. R., § 241, S. 355, 13te Ausg., A. Devergie, méd. lég. Tom. II, p. 201, Ch. XXIV *du suicide;* in primis vero Chauveau Adolphe et Faustin Hélie, théor. du code pén., Tom. II, p. 117 suiv., Tom. V, p. 228 suiv. et Hepp, N. Arch. d. crim. R. XI, S. 286 ff. ([2]) D. Wilkins, leges Anglo-Sax. eccl. et civ. p. 90, 15, Lond. 1721. ([3]) De legg. et cons.

nos bonorum publicationem in Angliam induxisse sibi persuasum habeat, mihi quidem seculo demum undecimo a Guilielmo Notho, Normanniae duce, una cum ceteris legibus patriis, Normannica in suicidarum bona (¹) eorumque cadavera constitutio illuc traducta fuisse videtur.

Bona mobilia et pecora (chattel) ejus qui manus sibi intulerat regi addicebantur, qui ea suo eleemosynarum dispensatori tradere solebat, ut pie iis uteretur (²); cadavera vero, omni officio divino in defunctorum memoriam intermisso, crati vel trahae imposita, in locum detrahendis pellibus pecudum morticinarum destinatum conjiciebantur (³). Serioris demum aetatis, domesticum prorsus, fuisse videtur ignominiosum sepulturae genus, quo cadavera palo transfixa in trivio sepeliebantur (⁴).

Harum in suicidas poenarum, de quibus judicium juratorum (coroner's jury) cognoscebat, ratio inde repetenda videtur, quod actionem illam voluntariam duplici e caussa puniendam esse du-

---

Angl. Lib. III, Tract. II. (¹) In Anglia quoque ab hoc inde tempore viguit juris paroemia: qui luit corpore, luat aere. Cff. Th. Smith in republ. Angl. Lib. II, c. 26, Cowellus, inst. jur. Angl. Lib. IV, Tit. XVIII de publ. jud., § 8 et 33. Soli Cantiani a Guilielmo, una cum ceteris privilegiis, bonorum publicationis immunitatem pacti sunt. Vide H. Spelman in gloss., voce *gaveletum*, p. 259. (²) Cf. Zoucheus descr. jur. et jud. temp. sec. cons. feud. et Norm., p. 283, Lond. 1683. (³) Cf. the gentlemans magazine, m. Aug. 1749, p. 341 sq. (⁴) Blackstone, comm. sur les lois Anglaises, traduit de l'Anglais par N. M. Chompré, Tom. V, Ch. XIV, p. 529.

cerent, tanquam laesionem regiae majestatis, publicatione bonorum, tanquam peccatum commissum in divinam providentiam, sepulturae infamia; vulgo enim ita ratiocinabantur, regem suicidio civem amittere, pacem turbari, pravum exemplum ceteris civibus praeberi ([1]). Harum vero poenarum gravitas maxime levabatur, ne dicam tollebatur, recepta distinctione, num aliquis e proposito et animo deliberato an ex insania vel melancholia manus sibi intulisset; quum igitur priori tantum casu tanquam homicida, felo-de-sè, puniretur, cadaver vero inspiciendum traderetur medicis, ut statuerent utrum mentis compos an male sanus suicida mortem sibi conscivisset, heredibusque semper concederetur contraria probatio, ita fiebat ut poena, quae e vulgari Anglorum opinione immanis videbatur, specie magis quam re vigeret.

Varia de hujus poenae aequitate a juris Anglici scriptoribus ferebantur judicia. Blackstonus ([2]) cum religioni legem prospexisse censebat, tum legislatoris prudentiam admirabatur, quum suicidium, injuriam in divinam providentiam, in regem, cui civium salutis tutela commissa erat, gravissimis criminibus annumerandum et tanquam felonem de se puniendum esse duxisset; legem adeo in suicidio, ut in omni felonia, culpae socios, tanquam homicidii reos puniendos, admisisse existimabat ([3]). Alii contra probabant Anglorum morem eludendi poe-

---

([1]) Cf. Donne, βιαθάνατος, p. 90 sq., 123. ([2]) Tom. V, p. 520 sq. ([3]) Keilw. 136.

nam, qua matri liberisve, omni culpa vacuis, mariti patrisve jam orbis, calamitatum cumulus, infamia, summa paupertas inurebatur ([1]).

Licet jus Anglicum in suicidas crudelissime saeviret, nullam tamen suicidii conatus rationem ducebat; eum vero, qui homicidium cum victimae consensu hujusve precibus sollicitatus commiserat, e peculiari quadam lege in homicidarum voluntariorum numerum referebat ([2]).

De jure Germanico.

Apud antiquos Germaniae incolas, Cimbros, Teutones, universe apud Germanicas gentes, quas magnam Europae partem occupasse novimus ([3]), illud dominabatur principium, mortem potius appetendam esse quam libertatem projiciendam vel in tyranni manus incidendum; hinc illa virtus, qua Romanis legionibus restiterunt; hinc mulieres adeo, conjugibus devictis, ut novimus e bello a Romanis, duce Mario, in Cimbros suscepto, suffocatis elisisque liberis, mutuis vulneribus conciderunt, aut, vinculo e crinibus suis facto, ab arboribus jugisque plaustrorum pependerunt ([4]);

([1]) Cf. de la Place, pièc. intér. pour servir à l'hist. et à la lit.; réfl. sur le suic. et sur l'impun. qui semble le favoriser, Tom. VIII, p. 299. ([2]) St. I, tawk. c.27, § 6, 1. Cff. Russel, on crimes and mis demeanos, Tom. I, p. 430, Roscoe, ou evidence, p. 640, Legal observer, 1838, Oct. n° 488, Chauveau et Hélie, op. l. Tom. V, p. 241. ([3]) Cf. Buonafeda, op. l. p. 32 sqq. ([4]) Florus, epit.

hinc amicus, ut amicum caesum ulcisceretur, in ejus rogum, ministri et comites, domino vel duce interfecto, in suum ensem in hujusve rogum se conjiciebant. Talis e vita exitus, tanquam fortitudinis virtutisque summae specimen, a Druidis et Bardis cantibus carminibusque celebrabatur; quum eos demum qui mortem fortiter oppetiissent in Valhallam suscipi ibique summa voluptate frui arbitrarentur ([1]); ut canit Lucanus ([2]):

Certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille, timorum
Maximus, haud urguet leti metus; iude ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque rapaces
Mortis: et ignavum rediturae parcere vitae.

Invalescente sub regum Francorum dominatione religione Christiana, una cum hujus religionis principiis ad meliorem frugem Germani quoque ducti sunt, evanuitque non tantum erroneum illud placitum de vita futura, verum etiam quae tota eo nitebatur suicidii insania. Postea vero excitato, mutuis equitum bellis, certaminibus singularibus, jure pugillatus, libertatem vindicandi studio, suicidarum quoque numerus in dies crescere denuo coepit; factumque ita est ut, quum religionis praecepta

---

fer. rom. III, c. 3, § 17. Laqueo Germanos bellorum superstites vulgo ignaviae infamiam fugisse testatur Tacitus, de mor. Germ., c. 7. ([1]) Cff. J. W. Statius Muller, Verh. over de gesch. en de oorz. van den zelfm., bl. 14 volg., Alg. vad. letteroef. 1792, St. II, meng. bl. 381. ([2]) Phars. I, v. 458 sqq.

suicidium dissuaderent, remedia excogitarentur, quibus ingravescenti malo occurreretur. Quum autem Imperatores Germaniae se Romanorum Imperatorum successores, religionis Christianae antistites esse gloriarentur et dominationem suam per Italiam, in ipsam urbem Romam tanquam imperii sedem vindicare studerent, factum est, ut in Germania juris Romani principia cum canonicis conjuncta maxime vigerent, ipsique Imperatores Authenticas suas ad utriusque juris normam informarent; quae utriusque juris principia in legibus diversis temporibus in suicidas constitutis non frustra quaerimus (1).

Publicationem bonorum ad juris Romani instar in foro Germanico antiquitus receptam fuisse, ex articulo quodam Speculi Saxonici, a[i] 1215 (2): „Sve von gerichtes halven sinen lief vorlüset, oder dut he yme selven den dot, sin negeste gedeling nymt sin erve", maxime apparet. Hic articulus enim, cujus constitutionem civitas Goslariensium, a° 1392 (3), in jus suum privatum recepit (4), quem

---

(1) Cff. Henke, Handb. des crim. R. und der crim. Pol., Th. III, S. 591, Blumröder, der Selbstm. psychol. erkl. und mor. gew. Th. II, S. 131. (2) Lib. II, A. 31, § 1, p. 239 edit. C. G. Gaertneri, Lips. 1732. Cff. Zobel ad h. A. et Blumröder, op. l. Tom. II, p. 130. (3) Cf. Heineccius, Autiq. Gosl. Lib. IV, p. 362, Francof. a. M. 1707. (4) Lib. I, Tit. IV, *von Erbgüttern*, A. 69: „Offt seck en dodet, eder offt he vordelet vor gerichte, sin neyste nimpt sin erve", apud Leibnitium, script. Brunsvic. Tom. III, p. 487.

Wincklerus (1), ut suam sententiam, bonorum publicationem tanquam poenam in ipsum suicidium fuisse constitutam, tueretur, mirum in modum contorserat, ut e glossae ad hunc articulum distinctione, inter eos qui e morbo vel melancholia et insania eosque qui e conscientia sceleris vel poenae metu manus sibi intulerint, elucere videtur, cum Waechtero (2) ita explicandus est: Quum vulgari juris Germanici praxi bonorum publicatio in poenam abiisset in ipsum suicidium, hunc articulum huc spectasse, ut tueretur juris Romani principium, publicationem bonorum numquam tanquam poenam in suicidium esse constituendam, sed unice sceleri adhaerere cujus conscientia aliquis mortem sibi consciverit. — Hanc pravam juris Romani et bonorum publicationis extensivam interpretationem in quibusdam Germaniae juribus privatis remansisse apparet e jure provinciali Dithmarsico, a[i] 1567 (3), quod constituebat dimidiam partem bonorum ejus, qui e taedio vitae manus sibi intulerit (ut mismode sik sulven umme brochte), ad principem redire, e consuetudine Neomonasteriensi (4), quae simile principium tuebatur, et e

(1) De mort. volunt. proh. ac poen., p. 48 sq. (2) Op. l. p. 647. (3) A. 131. Cff. Falck, Schlesw. Holst. Priv. R., Th. I, S. 429 f., Schirach, Handb. des Schleswig-Holsteinischen crim. R., S. 331, Alt. 1828. (4) Neumünster Gehr. A. 56 (Dreyer, verm. Abh. p. 1097): „Wann einer aus unsinnigkeit oder krankheit des haupts oder verzweiflung sich ums leben bringet, alsdenn fallen sine güter zum halben theile an die herren".

jure Tirolensi, quod tertiam suicidae bonorum partem fisco addicebat ([1]). E jure contra provinciali Rugiano bona suicidarum, quorum heredes essent naturales, numquam publicabantur, his vero deficientibus, bona principi tum demum vindicabantur ([2]), si quis non e morbo vel insania, sed e petulantia quadam manus sibi intulisset. Jus adeo Lubecense, quod ante a^{um} 1209 conditum esse dicitur ([3]), licet non constet, utrum illud quod hodie hoc nomine circumfertur, a° 1586 ([4]) instauratum, cum antiquiore conveniat, quod in pluribus civitatibus Cimbricis, in maxima Holsatiae et Slesvigiae parte publici juris factum est ([5]), omnem bonorum publicationem sustulit ([6]).

([1]) Tyrolische Landesordnung, A. 43, constituta ab Imperatore Maximiliano. Cf. Hoffmannus, coll. C.C.C. cum Sanct. Josephi, p. 9. Hanc publicationis normam postea recepit ordinatio criminalis Austriaca, A. 69, § 34, liberis dimidia, si quatuor vel plures superstites essent, sin pauciores vel collaterales ad quartum usque gradum, tertia parte addicta. Cff. Boehmerus, ad C.C.C. A. 135, § 3, elem. jurispr. crim. sect. II, c. XXII, § 259, p. 407, Halae 1557, Guarient, Cod. Austr. pag. 701. ([2]) Rügian Landgebr. 247: „wo he neene Lives-Erven hedde, so villen sine Güder an die Hershop". ([3]) Cff. Mevius, Comm. in jus Lubecense, Qu. I, Tom. I, p. 12 sq., Mittermaier, Deutsch. Priv. R., Th. I, S. 21. ([4]) Cf. Falck, op. l. Tom. I, p. 384 sqq., 393. ([5]) Cff. Westphalen, coll. dipl. praec. de recept. et usu jur. Lub. in civitt. Cimbr., opp. omn. T. IV, p. 3203 sqq., Falck, op. l. Tom. I, p. 388 sqq., 396 sqq. ([6]) Lübsches Rechtsbuch, A. 143 (Lib. IV, Tit. IX, A. 1): „Wann sich einer selbst umb das Leben bringt,

Ex hac diversorum jurium et consuetudinum collatione illud nimirum elucet, juris Romani in suicidarum bona principium optime servatum fuisse, cum in Saxonia, ut testantur leges Goslarienses, tum in regionibus Saxoniae finitimis, e quibus profecta Constitutio Criminalis Bambergensis, a[i] 1507 ([1]), cum Brandenburgensis, a[i] 1516 ([2]), tum Carolinae, a[i] 1532, mater fuit. Quum igitur praxis in Germania ita fluctuaret, ut aliae regiones juris Romani principium tuerentur, aliae ab eo recederent, Carolus V Constitutione sua Criminali ([3]) antiqua juris Romani in suicidarum bona praecepta restituenda esse duxit: „Wann jemandt beklagt und inn recht erfordert oder bracht würde, von sachen wegen, so er der überwunden sein leib *und* gut ([4]) verwürckt hett, und auss forcht solcher verschuldter straff sich selbs ertödt, des erben sollen inn disem fall seins guts nit vehig oder empfengklich, sonder solch erb und gütter der oberkeit, der die peinlichen straff, buss und fell zustehn, heymgefallen sein. Wo sich aber

---

oder durch Urtheil und Recht enthäubtet, gehangen oder sonsten gerichtet wird, seine Erben behalten all sein Gut unverkürtzet, und gehöret davon dem Gerichte nichtes". Cff. Mevius et Koll ad h. A. ([1]) Bambergische Halsgerichtsordnung, A. 160, ed. Zoepf. p. 54 sq. ([2]) Brandenburgische Halsg. ordn. A. 160, l.l. ([3]) Peinl. Gerichtsordnung Carl's V, A. 135, ed. Zoepf. p. 240. ([4]) Alii, ut Lynckerus, rer. in Seren. Duc. Saxon. Dicast. Jen. decis., dec. 299, resp. 79, n° 13, perperam leib *oder* gut. Cf. Wincklerus, op. l. p. 44 et Waechterus, op. l. p. 642.

eyn person ausserhalb ob gemelter offenbaren ursachen auch inn fellen da er sein leib alleyn verwirckt, oder sunst auss kranckheyten des leibs, melancolei, gebrecklicheyt, jrersinn oder ander dergleichen blödigkeyten selbst tödtet, derselben erben sollen deshalb an jrer erbschafft nit verhindert werden, und darwider keyn alter gebrauch, gewonheyt oder satzung statt haben, sonder hiemit revocirt, cassirt und abgethan sein, nnd inn disem und andern dergleichen fellen, nnser Keyserlich geschriben recht gehalten werden". Hic articulus ideo maxime memoratu dignus videtur, quod, quum ceterae Constitutiones Imperatorum de morte voluntaria ne verbum quidem moneant, Carolus eo generale quoddam praeceptum instituere animo conceperit, quo antiqnas vel contrarias consuetudines abrogaret. A Constitutionis Bambergensis Art. 160, qui juris Romani principium presse secutus erat, articulus noster eatenus recessit, quod tacitam juris Romani publicationem, uniuscujusqne poenae capitalis sequelam, quae, Capitularibus regum Francorum recepta ([1]), in nonnullis Germaniae regionibus invaluerat ([2]), non admitteret, licet nonnulli contrarium statuant ([3]).

Varias de hujus articuli interpretatione senten-

([1]) Lib. III, c. 47, apud Walterum, corp. jur. germ. Tom. II, p. 460. ([2]) Cf. Boehmerus, obss. ad Carpz. pract. nov. rer. crim., qu. 135, obs. 1. ([3]) Cff. Boehmerus, l.l. et in medd. in C.C.C. art. 218, § 6, Wincklerus, p. 43 sqq., Waechterus, p. 640 sq.

tias exposuerunt cum Wincklerus ([1]), eatenus tamen lapsus quod in sua sententia, bonorum publicationem in ipsum suicidium tanquam in crimen fuisse sancitam, hic quoque perstiterit, tum maxime Waechterus ([2]). Interpretum dissensus, ut rem paucis absolvam, eo fere redire videtur: quod nonnulli bona e dicti articuli mente publicari censerent propter crimen, in quod vel publicatio vel poena mortis erat constituta, alii, ut Boehmerus ([3]) et Wincklerus ([4]), putarent Carolinam non animadvertere in suicidam, qui, dum viveret, sola bonorum publicatione puniendus fuisset; cui utrique sententiae haec repugnant, quod diserte excipiantur ii, qui solius corporis jacturam faciant, de exceptione vero ratione bonorum ne verbum quidem occurrat, maxime autem quod, quum hic articulus in ceteris sequatur juris Romani principia, ex hujus juris indole etiam hic locus interpretatione ita illustrandus videatur: ut cavendum unice sit ne fiscus e praematura morte damnum capiat, in suicidium vero nulla poena sit constituenda ([5]); quam interpretationem item confirmant

---

([1]) In primia p. 46 sqq., 53 sqq. ([2]) p. 642 sqq. ([3]) Ad h. A. § 4. ([4]) p. 54 sq. ([5]) Cff. Boehmerus, meditt. in C.C.C., ad A. 135, § 4, obss. ad Carpz., qu. 2, obs. 3, Kressius ad A. 25 C.C.C., Claşenius ad A. 135 § 2. Bauer, Lehrb. des Strafr. § 160, 2te Ausg., Gött. 1833 et Waechterus, op. l., p. 639 merito in hujus articuli inscriptione: *Straff eygner Tödtung*, quam in suam sententiam Wincklerus, p. 46, traxerat, non haerendum esse docuerunt.

verba decreti ab eodem Carolo pro Episcopatu Ultrajectino lati, quae manifesto juris Romani principium tuentur: „Dat die kinderen, ofte erfgenamen van den geenen, die haar selven — uit furoer, van melancholie, mistroostigheid, ofte diergelijke zaken misdoen, interficieeren, ofte ter dood brengen, niettegenstaande dien haars Ouders goederen, ofte erffenisse onbekroont van yemande mogen apprehenderen, ende van den geenen, die misdadig sig verdoen, *niet hooger mulcte geëyst en worde, dan van den selven geëyst ende genomen souden worden, indien hij bij den Rechter van de misdaad, door vrese van welken gepunieert te worden hij sig verdaan heeft, geoordeelt en verwesen ware*" ([1]).

Nonnulli ([2]) perperam verba *beklagt und inn recht erfordert oder bracht würde* enunciative interpretantes, publicationem etiam obtinere censebant in bona ejus qui ante inceptam accusationem se interfecisset, si eum propter delictum, in quod

---

([1]) Placaat van Keyser Karel nopens de successie van de kinderen en erfgenamen in de goederen van hare Ouders en bloedverwanten, die sich selfs om hals gebracht hebben, in dato den 4 May 1546, apud Blondeel, verh. van het Holl. Zeel. en West-Vriesl. versterfrecht door Mr. Hobius van der Vorm, bl. 368 volg., et van de Water, groot Utrechts Plac. boek, B. I, Tit. XIII van succ. en test. disp., D. I, Plac. I, bl. 466 volg. ([2]) Ut Boehmerus ad Carpz., qu. 2, obs. 3; qui tamen in meditt. suis ad A. 135 C.C.C., § 4 ab hac sententia recessit; post inceptam vero demum accusationem Stephanus et Clasenius ad h. A.

publicatio erat constituta, vim sibi intulisse postea appareret; alii contra, interpretatione Carolinam nimis restringentes, probationem ([1]), indicia gravia ([2]), reum criminis convictum ([3]), confessionem licet fictam ([4]) requiri dicebant. Apparet vero ex iis, quae monuimus, lege imperii juris Romani in suicidarum bona principium integrum fere fuisse servatum, licet privatae, sive provinciales sive urbanae, constitutiones toties ab eo recesserint. Haec de hujus articuli interpretatione sufficiant, nunc vero agamus de vi constitutionum juris canonici de suicidarum cadaveribus in Germaniae praxin.

Poenae ecclesiasticae, quas, variis Conciliis constitutas, ut vidimus, reges Francorum in Capitu-

---

([1]) Haec restrictio abiit in Constitutionem Wurtembergicam, a[o] 1621, ut suicidae bona publicentur, crimen requirentem: „*beweisslich* begangen, derenthalben er Leib und Gut verwirckt und aus Forcht verschuldter Straff sich selbsten ertödete". Cf. Waechterus, op. l. p. 647 sq., not. 154. Heffterus, op. l. p. 279, censebat fiscum, si veniret tanquam petitor neque jam in honorum possessione esset, probare debere, ex hoc quidem principio, neminem nisi convictum condemnari posse. Ipsa autem convictio adest vel saltem adesse praesumitur, eo ipso quod suicida e conscientia sceleris manus sibi intulisse dicatur, numquam igitur de probatione fisci, sed unice de contraria heredum probatione, de qua tamen contra juris Romani principium Carolina silet, quaeri posset. ([2]) Boehmerus, medd. in C.C.C. ad A. 135, § 4. ([3]) Bergerus, elect. jur. crim., p. 97, Salchow, Lehrb. des crim. R., § 231, 3[te] Ausg., Tittmann, Handb. der Strafr. Wissensch. und der Deutsche Strafges. § 544, 2[te] Ausg. ([4]) B. Parens, de expens. crim. c. II, § 4, c. III, § 4, 6 sq.

laria sua retulerant, una cum horum regum dominatione in Germaniam quoque vim suam exserere coeperunt; factumque ita est, ut cum in foro tum apud juris criminalis scriptores invalescerent juris canonici in suicidas praecepta, ipsa adeo juris Romani bonorum publicatio ad hanc normam referretur.

Licet praxis in Germania juris canonici praeceptum, ignominiose tractanda esse suicidarum cadavera, secuta sit, a simplici ecclesiae poena, si leges Hadelenses ([1]) excipias, vulgo recessit. Invaluit scilicet in Germania immanissima illa exsecutio, qua suicidae cadaver, nisi, ut ait Carpzovius ([2]), ex animi impotentia suicidium fieret, a carnifice, trahae vel vehiculo quo morticinum pecus auferri solebat impositum, deducebatur in locum infamem, cadaveribus vel detrahendis pellibus pecoris destinatum, ibique terra operiebatur; cadaver vulgo non per fores evehebatur, sed per foramen in pariete vel sub limine domus extrahebatur vel per fenestras dejiciebatur ([3]); quae poena abiit in singula Germaniae, sive regionum sive urbium, jura; in Goslariense ([4]), Coloniense a^{i} 1437, quo cada-

---

([1]) Pufendorfii, obss. Tom. I, append. p. 57. ([2]) Pract. nov. imp. Sax. rer. crim. P. I, qu. 2, n° 30. ([3]) Cff. Carpzovius, l.l. et Resp. Lib. VI, Tit. X, Resp. 102, n° 6 sq., P. Heigius, quaest. P. II, qu. 36, n^{is} 64 sq. ([4]) Stat. Gosl. II, A. 63, 64: ,, — — de ock seck sulven dodet, denne schall men tho der rechte doren nicht uthbringen, mer *under deme sülle* schall me one uthbringen eder *uth den venstere*, unde one *upe deme velde bernen*, das

vera, a carnifice per fenestram domo ejecta, in patibulo vel furca suspendebantur (1), Dithmarsicum (2), Lubecense (3), Neomonasteriense (4). Cadavera igitur e legibus Goslariensibus, sub limine domus tracta vel per fenestram ejecta, comburebantur; quae combustio, cujus originem Wincklerus (5) ex ipsis legibus Goslariensibus repetendam censebat, in veteri ordinatione centenaria Franconiae (6) et in annalibus a[i] 1422 Episcopatus Norici (7) etiam memoratur. Si quis e criminis conscientia manus sibi intulisset, jus Tirolense (8) inter hanc poenam et projectionem in aquam, jus vero electorale Saxonicum inter poenam ignis vel rotae et suspensionem in patibulo optionem dabat (9). Suicidae cadaveris concrema-

---

schall de Voget don laten. Dodede seck en van süke wegene, dar ne befft dat gerichte neiu recbt an, mer des doden recbt is an allen dingen alseeines anderen doden". (1) Cff. Wincklerus, op. l. p. 42, 76 et Kressius ad C.C.C., A. 135, qui talis exsecutionis in propricidae cadaver Coloniae Agrippinae exemplum refert a[1] 1584. (2) A. 131: „Wo einer, de nicbt pienlik beklaget were, ut mismode sik sulven umme brocbte, de dode liechnam scball dorcb den bödel ofte racker *under den süllen*, ut dem buse gebracbt und *int feld* begraven werden". (3) Lib. IV, Tit. IX, A. 2: „Wer sich selbst tödtet, der aal *in das Feld* begrsben werden". (4) l.l. Waun........ der körper wird durcb den büttel *unter der schwellen* aus dem bause gebracht und *ins feld* begraben". (5) Op. l. p. 75. (6) Apud Kirchgesnerum, nemes. crim. p. 344. (7) Apud Danreutherum, nemes. Noric. e. VI, § 6. (8) A. 43. (9) Rescripto Frederici Augusti ad Consistoria, d. III Id. Mart. a[i] 1719, Cod. Aug.

tio Boehmeri ([1]) aetate morís etiam erat in Episcopatu Herbipolitano ([2]). Lex Wurtembergica ai 1621 unice praecipiebat sepulturam nocturnam proximo supplicii loco. In suicidarum cadavera vero gravissime saeviebat jus provinciale Rugianum, quum, praeter vulgarem sepulturam asininam, alia item supplicia, *in testimonium et terrorem concitatae necis*, constitueret: si se suspenderit, ut terra conderetur pedibus sursum capite deorsum, ita quidem ut laqueus, instrumentum necis, vulgo non de collo demeretur, si tamen justo brevior esset, ita in terram infoderetur, ut longitudo trium pedum promineret; si se percusserit, ut, ceteris turpitudinis notis servatis, arbor vel lignum, cui culter infigebatur, ad ejus caput poneretur; si se submerserit, ut quinque pedes ab aqua in arena sepeliretur; siquidem in puteo, ut extra praedium vel fundum in monte seu ad viam publicam sepeliretur, tribus lapidibus, uno capiti, altero alvo, tertio pedibus, cadaveri impositis ([3]). Aliud

---

Tom. I, p. 1009: „Da hingegen ..... ihre Coerper mit der Hinausschaffung auf dem Schindkarren oder Schleife und der *Verwirckung in die Erde unter den Galgen*, oder auch oeffters noch mit *Galgen*, *Rad* und *Feuer* gestraft werden". Cf. Wincklerus, op. l. p. 60, 76. ([1]) Quem vide in elem. jurispr. crim. Sect. II, c. 22, § 259. ([2]) E prioris seculi scriptoribus hanc cadaveris concremationem improbat Püttmannus, elem. juris crim., § 382. ([3]) Rügian Landgebr. 247: „Wo einer sick mothwilligen vam Leven thom Dode brachte, und nicht uth Unschick edder Krankheit des Hövedes schach, so moste men den doden Lichnam nicht mank

item ignominiosum poenae genus in suicidarum cadavera memorat Geiler von Keisersperg, quo, sub limine domo extracta, dolio inclusa, aquis committebantur ([1]).

Quum carnificis munus in sepultura asinina summi momenti esset, multis locis consuetudo invaluerat, qua huic cedebant omnia, quae evaginato gladio e loco, quo vel suicidam laqueo solverat vel hic alio modo occubuerat, contingere posset; quod si vero amicorum quis suicidae cadaver scisso laqueo sustulisset et loculo imposuisset, intercepta mercedula carnifici debebatur ([2]). Haec

andere Christen beerdigen, denne na Gelegenheit der Daeth in ein *Feld, dat neen sadich Acker iss*, laten begraven..... Henget sick einer sülvest binnen Timmers, men houwet en loss, und grefft en *under dem Sülle* edder *under der Wandt* uth, leth Gerichte over en sitten und besichtigen, hindt dat Tow an einem Sehlen mit einem Schwengel, und leth en *mit einem Perde henschlepen up den nechsten Kreutzweg*, dar sick twe edder dre Feldtmarken scheiden, und grefft en in des edder der Hershop Grund, dar he sick inne ummehracht hefft, men lecht en dar dat Hovet, dar de christlichen Doden de Fute hebben, dat Strick, dar he sick an gehenget, leth men em overm Halse, und iss dat nicht lang genog, so leget men dat binnen der Erden also, *dat ein Ende dre Scho lang baven der Erde kan liggen* bliven" cet. Cf. lex Ripuaria supra cit. p. 90. ([1]) Narrensch. 1520, fol. 192 (ed. Ammonis p. 78, ed. lat. 1511, turba 98, XXXI, V): „Selbstmörder *sieht* man *unter der schwellen hinaus, schlägt sie in ein fass* und wirft sie *ins wasser*". Cf. Rittershusius in comm. in IV Libr. Inst. Imp. D. Just., ad L. II, Tit. XII quib. non est perm. test. fac., § ult. ([2]) Cff. Ludovici, de jure carn. in bon. propr., Hal. Magd. 1702, recus. 1739, 4°,

autem consuetudo, jam a Carpzovio improbata, diserte abrogata est lege imperii a^{i} 1685, cujus summam e Weingartenii codice exhibet Hoffmannus ([1]).

Haec variarum consuetudinum collatio huc redit, ut pateat ignominiosae sepulturae genus, quod asininum dicebatur, in Germania unice pertinuisse ad eorum cadavera, qui e turpi caussa manus sibi intulissent ([2]), quam restrictionem in pluribus adeo consuetudinibus diserte descriptam invenimus. Qui vero ex aliis caussis fata properassent, sine pompa nocte vel prima luce in remotiori areae ecclesiasticae parte sepeliebantur; a quo sepulturae genere

---

Carpzovius, Resp. Lib. VI, Tit. X, Resp. 102, n^{is} 4 sqq., nov. pract. crim. P. I, qu. 2, n° 32, Kressius ad C.C.C. A. 135, § 3, Boehmerus, elem. jurispr. crim. sect. II, c. XXII, § 258, Boel, Amst. priv. en poorterregt, B. I, D. 13, bl. 166 ibique Clasenius ad A. 298 C.C.C., § 8, qui merito hanc consuetudinem tanquam injustam improbat, quum saepe peregrinus, in cujus sive diversorio publico sive aedibus privatis aliquis se occiderit, praeter meritum alterius factum luat. ([1]) In coll. C.C.C. cum Sanct. Jos., § 68. Clasenius, l.l., eam jam A. 298 C.C.C. verbis, *diese und dergleichen*, sublatam fuisse censebat. Neminem profecto fugiet, reprobandum maxime esse Quistorpii, in adumbratione sua codicis criminalis, Tom. I, § 252, 1782, quae ratione poenarum in suicidarum cadavera constitutarum medii aevi barbariei colorem adhuc refert, carnificinum commentum, quo aequum esse censet, mercedulam, e consuetudine uniuscujusque loci carnifici debitam, ei in posterum etiam deberi, licet in exsecutione cadaverum nulla amplius munera praestet. ([2]) Cf. Boehmerus, elem. jurispr. crim. Sect. II, c. XXII, § 258.

vulgo ne ii quidem, quibus actio imputari non poterat, qui e furore vel insania mortem sibi consciverant, eximebantur ([1]). In Saxonia tamen, in qua regione maxime suicidia cavebantur, jure Goslariensi solennis sepultura concessa fuisse videtur iis, qui e morbo, magis igitur etiam iis, qui e furore vel insania finem vitae suae imposuerant; jure vero electorali tria distinguebantur suicidarum genera, qui e mentis debilitate ([2]), e dolo vel desperatione, sani tamen animi sententia ([3]), et, convicti aut confessi, e conscientia sceleris ([4]) manus sibi intulerant ([5]); ex quibus generibus primi tantum honesta sepultura, licet minus solenni, gaudebant ([6]). Cognitio de horum sepultura ad Con-

---

([1]) Ut diserte jus Wurtembergicum a[1] 1621, de iis qui se occiderant, „aus Melancholi, Blödigkeit und Schwermuth oder Gebrechlichkeit ihrer verrückter Sinnen, so derselben aus Krankheiten und nicht eigenem Verursachen zugezogen". Cff. Wrisbergius, de eo quod just. est circa autoch. p. 42 sq., Goett. 1740, Quistorp, Grunds. des Deutsch. peinl. R., Th. I, Abth. II, § 300, et ausführl. Entw. zu ein. Gesetzb. in peinl. und Strafs. Th. I, § 232. ([2]) Rescriptis Electoris Johannis Georgii II, Id. Jul. 1664 et Regis Friderici Augusti ad Consistorium Lipsiense, d. V Id. Dec. 1705, ad Dicasteria, d. XV Cal. Sept. 1713, Cod. Aug. Tom. I, p. 861, 875, 1009. ([3]) Rescripto Friderici Augusti ad Cons. Martisburgense, d. XI Cal. Jul. 1745, apud Kuestnerum ad Deyling. jurispr. pastor. p. 730, Wincklerum, op. l. p. 66. ([4]) Rescripto Friderici Augusti, quod supra, p. 108, n° 9, jam retuli. ([5]) Cf. Erhard, Handb. des Churs. peinl. R. Th. I, S. 299 f., et in anim. ad Pastoretum, Betracht. über die Strafges., Th. II, S. 254. ([6]) Cf. etiam Mandat wegen der auf wahnwitzige und melancholi-

sistoria pertinebat; de ceteris vero ad Dicasteria ([1]); a qua tamen norma postea eatenus recessum est, ut, magistratu ac Superintendente circa modum sepulturae convenientibus, postea demum ad Consistorium referre sufficiat ([2]). Jus denique electorale Saxonicum praemia proponebat iis, quorum ope eorum, qui jam in eo erant ut laqueo vel submersione animam efflarent, vita servata fuerat; poenam contra in eos constituebat, qui haec humanitatis officia praestare neglexerint; si qui vero hoc desperati consilii effectum antevertendi studium alicui exprobaverint, ut hi adeo ad palum alligarentur vel ad ergastulum operave publica damnarentur, praecipiebat ([3]).

Sepulturae asininae in suicidarum cadavera in-

sche Personen zu führenden Obsicht und des Verfahrens bei freventlichem Selbstmorde vom 20 Nov. 1779. ([1]) Ord. eccles. Magdeburg. c. 12, § 12, apud Boehmerum, jur. eccles. Prot. L. III, Tit. 28, § 51. Cff. Carpzovius, Jurispr. eccl. Lib. II, def. 378, n° 5, Eckardus ad Schilterum, Lib. II, Tit. XIV, § 12, n° 4, V. G. de Weber, system. Darst. des im Königr. Sachsen gelt. Kirchenr., Th. II, Abth. 2, S. 237 ff. Hanc nostri argumenti partem accuratissime exposuit Wincklerus, op. l. p. 58 sqq. ([2]) D. VII Id. Aug. 1766, Cod. August. Suppl. Tom. I, p. 243. ([3]) Mand. des 26 Sept. 1773, die Rettung derer im Wasser oder sonst verunglückten und für tod gehaltenen Personen betreff. Similis constitutio lata est in Magno Ducatu Megalopolitano, a° 1783 (Quistorp, Grunds., Th. I, Abth. 2, § 301). Cff. Kees, Vers. eines Unterr. von Verbr. und Straf. § 52, S. 37, Püttmannus, op. l. § 384 et similis constitutio apud Quistorpium in sua codicis criminalis adumbratione, Tom. I, § 254.

famia in Germania viguit ad finem prioris seculi; a plerisque adeo hujus seculi juris criminalis scriptoribus, Beyero [1], Boehmero [2], Erhardo [3], Kochio [4], Püttmanno [5], Quistorpio [6], Wincklero [7], Wrisbergio [8], si quidem inferatur cadaveribus eorum, qui conscientia sceleris necem sibi consciverint [9], ita defensa est quasi cum ceteris juris criminalis principiis optime congrueret; cujus theoriae, ex Italia [10] in Germaniam translatae, quae hoc principio, capitalium criminum exsecutionem etiam in cadaver exsequendam esse, nitebatur, in Germania auctor fuit Carpzovius, qui vix dubium esse censet quin, si aliquis, criminis cujuspiam capitalis convictus vel confessus, e conscientia delicti commissi se interfecerit et exsecutionem supplicii morte praeverterit, ejus cadaver vel suspendatur vel rotae affigatur vel comburatur [11]; quod si vero quis e vitio mentis necem sibi consciverit, mitius quidem agendum, de

---

[1] Ad C.C.C. A. 135, § 21. [2] Elem. jurispr. crim. l.l., § 258, in medd. ad C.C.C. A. 135, § 5. [3] l.l. [4] Inst. jur. crim. § 515. [5] Op. l. § 380, 384. [6] Grunds., Th. I, Abth. 2, § 299 folg. [7] Op. l., in primis p. 69 sqq., qui p. 64 cavendum adeo censet, ne solus ceremoniarum defectus pro signo inhonestae sepulturae habeatur, quum, eas omittere posse, interdum sit beneficium inopum, ipsae ceremoniae autem vulgo privilegium nobilium. [8] Op. l. p. 37, 41. [9] Cf. in primis Quistorp, ausf. Entw., Th. I, § 66. Coll. § 252. [10] Cf. sup. p. 79. [11] Pract. rer. crim. P. III, qu. 131, n[is] 41 sqq. Coll. n[is] 31 sqq.

ceremoniis tamen aliquid remittendum esse existimat ([1]).

Sub finem demum prioris seculi, una cum majori cultu, humaniora quoque principia in suicidas eorumve cadavera vigere coeperunt; ubivis in Germania in desuetudinem abiit immanissimum illud asininae vel caninae sepulturae genus ([2]); sed vel sic tamen remanserunt plures praecedentium seculorum praejudicatae opiniones, neque omnes vel legumlatores vel juris criminalis scriptores in principiis quae colerent sibi constiterunt ([3]).

Codex Austriacus, suicidium ejusque conatum gravibus politiae transgressionibus annumerans, in ipsum suicidium consummatum revera nihil con-

([1]) Jurispr. cons. Lib. II, def. 377, n[is] 10 sqq.; quam ejus sententiam refutarunt Sahme, ICtus Germanus, de deneg. sepult. c. 3, § 3, et van Cleeff, ICtus Batavus, op. l. p. 112 sq., quum talis ceremoniarum remissio contra communem consuetudinem iniqua videatur; totam igitur rem Principi vel Consistorio relinquendam esse censuerunt. Cf. Püttmannus, op. l. § 384. ([2]) Humanitate se commendant principia, quae in suicidas eorumque cadavera coluit Soden, Geist der peinl. Gesetzgeb. Teutschl. Th. I, § 269 ff., 2[te] Aufl. 1792; qui, § 273 sq., eum tantum, qui convictus crimine manus sibi intulerit, non suicidii, sed confessi criminis caussa, ignominiose, ceteros vero, nisi e furore, hypochondria vel melancholia, in quos nulla imputatio, se interfecerint, in area quidem ecclesiastica, sed sine ceremoniis esse sepeliendos censet. ([3]) Exstitit adeo initio hujus seculi scriptor obscurus et anonymus, cui antiqua Graecorum suicidii caussarum ad Senatum relatio restituenda videbatur. Bildersaal seltener Selbstmörder, Berlin, 1804. Cf. N. allg. D. Bibl. Bd. XCVIII, S. 353.

stituit; sed, nullam in cadaver exsecutionem ob poenam ceteroquin meritam admittens, unice praecipit, ut cadaver ejus, qui e conscientia sceleris manus sibi intulerit, extra aream ecclesiasticam sub militum custodia, comitantibus ministris judicialibus, terrae mandetur ([1]); si, ut poenae criminis gravissimi se subtraheret, jure vero crimen commissum esse constaret, ejus nomen ipsiusque criminis brevis descriptio loco supplicii affigantur et ter diariis provinciae, in qua mortem sibi intulerit, inserantur ([2]).

In Borussia antiquae poenae ignominiosae in suicidarum cadavera jam abrogatae sunt edicto, Non. Mart. 1747 lato ([3]); jus vero hodiernum, nulla distinctione admissa inter conscientiam criminis, taedium vitae aliumve caussam, in ipsum suicidium consummatum nullam poenam statuit, cognatisque igitur concedit, ut in his cadaveribus inhumandis luxum faciant, unice cavens, ne suicidae iis insignibus gauderent, quae vulgo virorum amplioris loci vel majoris dignitatis exsequias comitari solent ([4]). Licet igitur jus Borussicum nullam suicidii caussae rationem habendam esse censeat, attendit tamen maxime statum personae, sepultura constituta in loco supplicii, si quis, ut poenam infamiam inurentem, gravis cri-

---

([1]) Gesetzb. über Verbr. und schwere Pol.-Uebertr., Th. II, § 92. Cff. Fr. Edl. von Egger, kurze Erkl. des Oesterr. Gesetzb., Bd. III, S. 72, ad h. §. ([2]) Tom. I, § 203, 498. ([3]) Cf. E. F. Klein, Grunds. des gem. Deutsch. u. Preuss. peinl. R., § 261, S. 187, Halle 1796. ([4]) Preuss. Landrecht, Th. II, Tit. 20, § 803.

minis sequelam, anfngeret, fata properasset ([1]); quod si sententia damnans jam ante mortem pronuntiata fuisset, praecipiens, ut exsecutio in cadaver, quatenus fieri possit, deceat et aliis deterrendis inserviat, ad exitum perducatur ([2]).

De suicidio silent codex Wurtembergicus, Bavaricus ai 1813, qui etiamnunc viget, Saxonicus, adumbratio codicis criminalis Hannoverani. In regno tamen Wurtembergico, inde ab a° 1811, inducta est traditio suicidae cadaveris theatro anatomico; quae infamia, teste Waechtero ([3]), hic vulgo eluditur; in adumbratione codicis Bavarici ai 1822 ([4]) suicidium refertur ad transgressiones jurium personarum, propter quam transgressionem suicida sine pompa funebri procul ab area ecclesiastica terrae mandetur; et in adumbratione Stuebeliana codicis Saxonici ([5]) suicidium praesumitur animi impotentia vel mentis morbo perpetratum ([6]), quae juris praesumtio si valeat, suicida in area ecclesiastica sed sine pompa sepelitur, si contra mentis insaniam non adesse probetur, cadaver, facultate medica illud petente, theatro anatomico traditur, quod si vero haec non petat, extra aream ecclesiasticam terra conditur; quibus sive remediis sive

---

([1]) l.l., § 804. ([2]) Ibid. § 805. ([3]) Op. l. p. 673. ([4]) Tom. II, A. 277. Cf. Oersted, ausführl. Prüf. des neuen Entw. zu ein. Strafges. für das Kön. Bayern, S. 73, Kopenh. 1823. ([5]) § 908—910. ([6]) Hanc quoque praesumtionem ponendam esse ducunt Meisterus, princ. jur. crim. § 171, Soden, op. l. Tom. I, § 271, Heffterus, op. l. p. 278.

poenis constituendis Stuebeli duplex erat consilium, ne suicidia palam fierent et ne publica potestas ea probare videretur ([1]).

Leges electorales Hassiae, d. IX Cal. Nov. 1797 et d. IV Cal. Febr. 1818, honestam sepulturam cum omnibus ceremoniis concedebant iis suicidis, qui mentis compotes non erant, liberis scilicet, insanis, aegrotantibus febri fervido correptis, melancholicis; si quidem unam alteramve harum caussarum adesse probari queat, quum in hos nulla imputatio cadere possit. Quas leges sive constitutiones quin arbitrarias dicamus, non est quod dubitemus; probationem enim plerumque ab arbitrio heredum vel cognatorum defuncti pendere sponte apparet, quum mortuo reo vix concedatur contraria probatio.

Accuratior haec diversorum in singulis Germaniae partibus in suicidas eorumque cadavera institutorum investigatio, ad hanc simplicissimam conclusionem nos duxisse videtur: quum ab ecclesia a primis inde temporibus profecta esset omnis civilis in suicidas jurisdictio, ab ejus vero praeceptis jus civile magis magisque recessisset, recentiorem praxin, quum primis illis vestigiis insisteret, quaecunque suicidas sepeliendi normam spectarent ecclesiae curae relinquenda duxisse, ut, si controversia oriretur, lis e legibus ecclesiasticis componeretur; quam

([1]) Hanc suae adumbrationis partem latius explicat in N. Arch. des crim. R., B. IX, S. 592 ff. Cf. Tittmann, Entw. zu ein. Strafges. für das Kön. Sachsen, B. II, § 261 ff.

praxin hodie in Germania probant plerique scriptores juris criminalis; quorum in numerum referendi sunt Tittmannus (1), Grolmannus (2), Rosshirtus (3), Abeggius (4), Bauerus (5), Waechterus (6), Falckius (7), Henkius (8), Heffterus (9), Mittermaierus (10), alii. Nituntur vulgo hoc principio, puniendas unice esse juris laesiones, eas scilicet quibus ipsa civitas, communis civium salus laedatur (gemeingefährliche Handlungen); suicidio vero magis moralia quam juris principia laedi (11). Haec sententia, licet hodie in Germania praevaleat, non tamen ab omnibus hujus seculi juris criminalis scriptoribus recepta est; sed, prouti vulgi opinio, quam in primis Francicorum scriptorum licentia obcaecaverat, jam sub finem prioris seculi in extrema quaeque abiit atque suicidium non tantum licitum sed

---

(1) Handb. der Strafr. Wissensch. und der Deutsch. Strafges. Th. II, § 549, 1ste Ausg., 1809, § 544, 2te Ausg., Halle 1823. (2) Grunds. der crim. Rechtsw. § 447. (3) Entw. der Grunds. des Strafr. S. 342, Heidelb. u. Leipz. 1828. (4) Unters. aus dem Geb. der Strafr. Wissensch., S. 72 ff., Breslau 1830. (5) Lehrb. des Strafr. § 151, 1ste Ausg., Goett. 1827, § 160, 2te Ausg., Goett. 1833. (6) Op. l. p. 655 sqq. (7) N. Arch. des crim. R., B. XI, S. 149. (8) Handb. des crim. R. u. der crim. Pol., Th. I, S. 236, Th. II, S. 66 f., Th. III, S. 583 ff. (9) Op. l. p. 278. (10) Ad Feuerbachium, Lehrb. des in Deutschl. gült. peinl. R., p. 355 ed. 13. (11) Cff. Tittmannus, op. l. Tom. I, § 32, Tom. II, § 291, Bauerus, op. l., § 20 1ae edit., § 22 2ae edit., Henkius, op. l., Tom. III, p. 581, 583, 585 sqq., in primis vero Waechterus, op. l. p. 655 sqq.

laude dignum adeo censuit ([1]), ita exstiternnt nostra aetate, qui priorum secnlorum principia in memoriam revocarunt. Feuerbachius ([2]), Salchovius ([3]), Trummerus ([4]), qui poenarum immunitate homines ad suicidia invitari existimabat, Wendlerus ([5]), licet hic cum Feuerbachio rei publicae decretum, quod huic *illegitimae* actioni poenas minaretur, absurdum esse sibi persuasum haberet, hi civitatis jnra, rei publicae leges suicidio laedi censebant; quae sententia jam sub finem praecedentis seculi suos patronos habebat, e quibus Wincklerum ([6]) et Quistorpinm ([7]) suscitasse sufficiet. Heppio ([8]) adeo, quamvis merito contenderet civem civitate non ita adstrictum esse, ut continuo in ea manere cogeretur, sed unice ut, quamdiu ei adscriptus esset, ejus legibus obsequeretur, Moeseri ([9]), sepulturae Christianae suicidarum cadaveribus denegationem summis laudibus efferentis, auctoritate nitenti, sepultura in area ecclesiastica suicidarnm cadaveribus, cum deterrendi tum ipsius ecclesiae caussa, deneganda videbatur.

([1]) Cf. Gmeliu, Grunds. des Gesetzg. über Verbr. u. Straf., § 78, S. 163, Tubing. 1785, qui tamen. § 79, suicidium, in primis si poenae metu committatur, ut alii deterreantur, puniendum censet. ([2]) Op. l. § 241. ([3]) Lehrb. des peinl. R., § 230, 3te Ausg. ([4]) Phil. des R., S. 69—71, 301, Hamb. 1827, in ejus et Hudtwalckeri, Crim. Beitr., Bd. III, § 121, S. 330. Cf. Waechterus, p. 658 sqq. ([5]) De mort. propr. manu sibi parat. indag., p. 8, Lips. 1830. ([6]) Op. l. p. 8 sq. ([7]) Grunds., l.l., § 297. ([8]) Vers. üb. einz. Lehr. der Strafr. Wiss., n° VII, 1827. Cf. Waechterus, p. 673 sqq. ([9]) Patr. Phant. Th. III, n° 24, S. 73 ff., Berl. 1842.

In suicidii conatum, si nullae vel tales caussae afferrentur, quae propositum non excusarent, ut pudor aeris alieni, nimia habendi libido frustrata, olim constituta erat poena arbitraria carceris, relegationis, ergastuli (Gefängniss-, Verweisungs-, Zuchthausstrafe), exsilii vel fustigationis (1); quod si vero aliquis e taedio vitae vel doloris impatientia se vulneraverit, nulla poena afficiebatur, sed e judicum sententia in custodiam tradebatur (2); improbabatur tamen vulgo, jam ab ipso Carpzovio (3), doctrina nonnullorum ICtorum apud Italos, in suicidii conatum poenam capitis constituentium. Praxis praecedentis seculi fluctuabat inter antiquam poenam, quam probant Gaertnerus (4), Winckler us (5) et Quistorpius (6), et inter mitiorem, brevem carceris poenam vel temporalem relegationem (7). Praxis vero hodierna, ut omnem poe-

(1) Cff. Carpzovius, Pract. rer. crim. P. I, qu. 2, nº 44 sq., 47 sqq, Boehmerus, elem. jurispr. crim., l.l., § 258, in medd. ad C.C.C. A. 135, § 5, Wincklerus, op. l. p. 79 sqq. (2) Carpzovius, l.l., nº 38, Dedekind, de autoch., Thes. XVIII, Lips. 1671, Mevius, comm. in jus Lubec. Lib. IV, Tit. IX, A. 2, p. 147. (3) l.l., nis 41 et 45. (4) Inst. jur. crim. ad Art. 135 C.C.C., § 2. (5) p. 81 sqq., ibique sententia scabinorum Lipsiensium a. 1713, et p. 86. (6) Grunds., Th. I, Abth. 2, § 300. Cf. ausf. Entw., Th. I, § 232 in f. (7) Cff. Mand. wegen der auf wahnwitzige und melancholische Personen zu führenden Obsicht und des Verfahrens bey frevelhaftem Selbstmorde, 20 Nov. 1779, § VI, Beyerus ad C.C.C. A. 135, § 14, Meisterus, princ. jur. crim., Sect. II, P. II, c. 8, § 171, Hommelius in Rhapsodia, obs. 137, Püttmannus, op. l.

nam criminalem a suicidio consummato removet, ita nec in ejus conatum poena quadam criminali diutius animadvertendum esse ducit ([1]).

Codex Austriacus eum, qui poenitentia ductus a consilio se interficiendi recesserit, coram magistratus vocandum severeque admonendum esse constituit; si vero suicidium sit prohibitum ipso invito, eum in custodiam tradendum esse, donec eum a proposito destitisse constet: „bis er durch sittliche und physische Heilmittel zur Vernunft und dem Erkenntnisse seiner, dem Schöpfer, dem Staate und sich selbst schuldigen Pflicht zurückgeführet, über das Begangene Reue zeiget, und für die Zukunft dauerhafte Besserung erwarten lässt" ([2]). Quum igitur lex Austriaca non suicidium puniendum, sed unice prudenter praecavendum esse constituerit, ne committeretur ejusve conatus repeteretur; ut gravis haec politiae transgressio adesse videatur, ut jam monuit Scari ([3]), non requiritur laesio vel vulneratio, sed consilium se interficiendi; hoc vero deficiente, sola laesio vel vulne-

---

§ 383, Feuerbachius, op. l. § 279 et judicia Scabinorum Lipsiensium a[i] 1657 et Facultatis Lipsiensis a[i] 1726 apud Beyerum, l.l. ([1]) Tittmannus, op. l. Tom. II, § 544, Waechterus, p. 675, Heffterus, p. 278, Mittermaierus ad Feuerbachium, p. 355. ([2]) l.l., § 90 sq. Cff. § 286, 402. ([3]) D[r]. v. Scari von Cronhof, Beitr. zur Erkl. der, von der schwer. Pol. Uebertr. des Selbstm. hand., § 90, 91 und 92 des II[ten] Th. der Oest. Straf-Ges., in der Zeitschr. für Oest. Rechtsgel. v. Wagner, Bd. II, Abh. 23, S. 34, Jahrg. 1829.

ratio hanc transgressionem constituere minime potest.

Jure Borussico e rescripto d. III Non. Oct. 1796 ([1]) in suicidii conatum nulla poena erat constituta; jure hodierno tamen cautum, ne quis consulto corporis mutilatione, qualis per analogiam suicidii conatus, qui non omni effectu caruit, dici revera potest, se civilibus aliisve muneribus imparem redderet, judicibusque poenam arbitrariam fustigationis, ergastuli vel operis publici, quae tamen nec trium annorum spatium excedere neque minor quam unius anni esse potest, irrogandi potestas data est ([2]). Stuebeliana codicis Saxonici adumbratio requirit religiosam institutionem per sacrorum ministrum et curam disciplinae publicae ([3]). Adumbratio codicis Bavarici a[i] 1822 eum qni manus sibi inferendi consilium ceperit, disciplinae publicae curae committendnm esse censet, donec eum illud consilium omisisse appareat ([4]).

Flnctuat hodieque praxis in Germania ratione poenae, quae ab eo, qui vel verbis vel consilio et monitu suicidam instigasset vel volentem ipse interfecisset ([5]), exigenda videatur. Quum in ipso

---

([1]) Apud Mankopf, p. 361. ([2]) Preuss. Landr. Th. II, Tit. 20, A. 802. ([3]) l.l. Cf. Gmelin, op. l. § 81, qui, medici vel sacerdotis tutelam commendans, si quis tamen propter crimen vel aes alienum vitae finem imponere conatus fuerit, hunc judicibus tradendum brevemque carceris poenam ei imponendam esse ducit. ([4]) Tom. II, A. 277. Cf. Waechterus, p. 679. ([5]) Cff. Salchow, op. l. § 231, Pillwitz, de anim. ad autoch. pers. ejusq. poen.,

codice Austriaco nihil hac de re esset constitutum, in primis hujus juris interpretes inter se dissentiebant; Passy ([1]) contendebat unumquemque suicidii adjutorem, si quidem in suicidae personam manus non injecerit, commisisse quidem gravem securitatis publicae transgressionem, sed non e § 90—92, verum e § 89 et 183, quorum altera loquitur de transgressionibus in vitae securitatem, altera de transgressionibus quibus laeditur haec securitas, esse puniendum; quod si vero ipse manus injecerit, eum non amplius in gravis politiae transgressionem, sed pro re nata in poenam vel consummati vel attentati homicidii incidere; Rainerus ([2]) contra et Vesque von Püttlingen ([3]) culpam intellectualem per se culpam criminalem prodere censent.

Jure Borussico, si adsit praesumtio homicidium

Lips. 1821, Mittermaier, N. Arch. des crim. R., Bd. V, S. 512 ff., et ad Feuerbachii op. l., p. 355. ([1]) Beitr. zur Erört. der Frage: Ob es nach den Oest. Strafges. eine strafb. Mitsch. am Selbstm. gebe? In der Zeitschr. für Oest. Rechtsgel. von Dölliner und Kudler, Bd. II, Abh. 25, S. 171, Jahrg. 1834. ([2]) Beitr. zur Erört. der Frage: Ueber die Strafb. der intell. Urh. und der intell. und phys. Gehülf. rücksichtl. ein. Selbstm. nach den Oest. Strafges., in der Zeitschr. für Oesterr. Rechtsgel. von Dölliner und Kudler, Bd. II, Abh. 20, S. 40, Jahrg. 1835. ([3]) Ueber die Frage: Giebt es nach den Oest. Strafges. eine strafb. Mitsch. am Selbstm.? In Wagner, Zeitsch. für Oest. Rechtsgel. B. I, Abh. 10, S. 211, Jahrg. 1831. Cf. Kitka, über das Zusammentreffen mehr. Schuld. bei ein. Verbr., S. 90 f., Wien 1840.

in volentem ita esse commissum, ut homicida huic ipsius consensus antea auctor fuerit, poena operis publici vel ergastuli perpetua (lebenswierige Festungs- oder Zuchthausstrafe) infligebatur ([1]); si vero hanc praesumtionem abesse constaret, idem quidem poenae genus, sed a sex ad decem annos constitutum erat ([2]).

Codex Bavaricus, poena eas demum actiones eximens, quae damnum vel proprietatis laesionem privatam spectant (auf *Verlust* oder *nicht gemeinfährliche Beschädigung des Eigenthums* gerichtet sind), actionem, comminatione poenae prohibitam, etiamsi tacita sive aperta laesi venia accesserit, nec poena immunem nec minore poena dignam fieri censet ([3]). Codices criminales Saxonici ([4]) et Wurtembergici ([5]) minoribus quidem, sed tamen carceris et ergastuli poenis afficiunt eos qui volentes interfecerint. Adumbratio codicis Badensis ([6]) suicidii socio minatur carceris poenam ad decem usque annos.

De jure Belgico.

Ante inductam religionem Christianam in patria nostra alicujus poenae aliusve suicidiorum cautionis vestigia frustra quaerimus; suicidia adeo antiquissimis temporibus admodum rara fuisse videntur. Satis probabile est primum in suicidas institutum

---

([1]) Cf. Temme, Lehre von der Tödtung nach Preuss Recht, S. 142. ([2]) Preuss. Landr. Th. II, Tit. 20, A. 834. Cf. Stübel, N. Arch. des Crim. R., Bd. IX, S. 580. ([3]) Th. I, A. 123. ([4]) A. 125. ([5]) A. 239. ([6]) § 186.

adventitium et quidem juris Romani bonorum publicationem fuisse, quae, quum in Francia jam novam speciem sumsisset, ex hac demum regione sub regum Francorum dominatione ad nos delata est. Prouti enim in Francia, in iis quidem regionibus in quibus consuetudine invaluerat bonorum publicatio, supremos judices publicandi illud jus sibi vindicasse monuimus, ita apud majores nostros fisci Procuratores et Praetores, nisi singularum regionum privilegia contrarium edicerent, nomine Principis simili jure gaudebant. Detinebant cadaver ejus, qui se interemerat, ut, si e conscientia sceleris, poenae metu ad tam triste consilium ductus fuisset, vel bona publicarent vel pecuniam exigerent pro redemptione bonorum; vulgo enim jure nostro patrio haec servabatur norma, alicujus bona non publicari, nisi e conscientia sceleris vel destinato consilio manus sibi intulisset; suicidium enim e taedio vitae, morbi fervore, insania, furore raro sequebatur haec publicatio; hinc illa distinctio inter *willens ende wetens* vel *met opsetten wille ende boosheyt* aliasque caussas, quae in Magno Privilegio Mariae, Prid. Id. Mart. 1476 ([1]), in consuetudinibus Antverpiensibus ([2]), quae, ab Imperatore Maximi-

---

([1]) Art. 45. ([2]) Rechten ende Cost. van Antwerpen, Tit. XVI, A. 3: „Item, soo wanneer by merckelycke redenen wort bevonden, dat eenich persoon hem selven, *wetens ende willens*, verdroncken, verhanghen, verdaen oft ter doot ghebrocht heeft; als dan zijn de goeden van den selven verbeurt ende gheconfisqueert 's Heeren proffyte". Apud Christinaeum, Brab. recht, D. I, bl. 387, Antw. 1682. Iisdem

liano a° 1480 confirmatae, juris Belgici in suicidas fundamentum fuisse videntur ([1]), in Edicto perpetuo Kennemariis d. IX Cal. April. a[i] 1561 ([2]) concesso, in statutis civitatis Ruremondae ([3]) occurrit. Hinc Philippus, Archidux Austriae, incolis terrae Voornensis m. Dec. a[i] 1494 omnium bonorum publicationis privilegium concedens, diserte inter alia crimina exemit suicidium ob conscientiam sceleris, *desperatie* ([4]); quam distinctionem leges vel consuetudines Iprae ([5]), a Carolo

---

verbis conceptus erat A. 28 consuetudinum Denrnensium, apud Christinaeum, Tom. II, p. 1273. ([1]) Cf. Boel, Amstelr. priv. en poorterr. bl. 126, 146. ([2]) Octroy, geg. by Philips, Koningh van Castilien, voor Edict ende eeuwighe Wet, A. 2: „Dat d'Officiers, ofte heuren Dienaers, niemandt .... sullen mogen molesteren, van lyve ofte van goede, daer men yemant doodt vindt, onder 't decksel, dat die dooden hen selven ghedoodt ende verdaen souden hebben: ten ware dat men eerst wettelycken bevonde, dat die Persoon hem selven *met opsetten wille ende boosheyt* verdaen hadde". In Lams, Hantv. en Priv. van Kennemerlandt, bl. 122, in gener. Priv., 1652 gedrukt, bl. 63 et in bysond. Priv. van Westzaanden en Crommenie, 1661 gedrukt, bl. 135 volg. ([3]) Gelresche landt- en stad-rechten in 't Over-Quartier van Ruremonde, D. VI, Tyt. II, § 5, n° 18, bl. 369: „Als bevonden wordt, dat jemant hem selven *wetens ende willens, uyt vreese van straff van eenigh misdaet*, verdroncken, verhangen, oft ter doot gebroght heeft, alsdan zyn die goederen van den selven verheurt, tot profyte des Heeren". ([4]) Gereg. ter Reeckenkamere van Holl. in 't bonte Register, beginn. 1 Jan. 1504, fol. 215 et ult. Cff. van Leenwen, Rooms Holl. Regt, B. V, D. 29, n° 4, § De Ingeseetenen, Boel, op. l. p. 132 sq. ([5]) Le Grand, les coust. et loix des villes et des chast. du comté de Flandre,

V d. V Cal. Dec. a[i] 1550, et Castelli Morinorum ([1]), ab Alberto et Isabella d. IV Id. Jul. a[i] 1611 confirmatae, tuentur, eandemque, ut novimus ([2]), Carolus V in edicto suo d. IV Non. Maj. a[i] 1546 recepit. Confirmat hanc distinctionem praxis, in primis in Hollandia, ubi, teste Alpheno in Psittaco suo ([3]), haec vigebat

---

Vol. III, les loix, coust. ordonn. etc. de la salle et chast. d'Ipre, p. 23, Cap. LII van descespereren : ,, Item , soo wie hem selve *by wanhope* doode, hy wert gesleypt by den halse ende gejusticiert met den spriete, ende syn goedt geconfisquiert ; maer *ware de wanhope doncker* , *als van verdroncken te syn* , *ofte kranckheyt van sinnen* , *ofte andere gelycke ocrasien* ende daer af bleke by informatie van de gebuetcen ende andere, soo sal men van de Justitie useren er discretie van de Wet". ([1]) Ibid. Tom. III, les coust. et usag. de la ville et chast. de Cassel, A. 200, p. 39, quae eadem constituunt. ([2]) Supra p. 105. ([3]) van Alphen, Holl. Papegaay, D. II, H. I van rauactie, bl. 51 volg., in sententia a curia Hollandiae d. XII Cal. Mart. a[i] 1610 lata, ubi, quoad publicationem bonorum ejusque redemtionem : ,, dat daer gebruyckt ende geobserveert was geweest van allen ouden tyden, dat de goederen van..... ende dat al sonder eenige distinctie ; 't ware of die geene, die hem selven verdaeu hadde, was machtigh geweest syne sinnen ten tyde van 't Delict ofte niet, maer insonderheyt, ingevalle die geene die hem selveu verdede, 't selve feyt hadde gecommitteert *conscientia sceleris commissi*, of dat hy sich selven verdaen hadde , *sonder eenige oorsaecke*, dewelcke genaemt werden *Desperatien*". Cff. Decis. en Resol. van den hove van Holl., N° 114, bl. 60 volg., 's Grav. 1751, Holl. cons. D. I, cons. 332, D. II, cons. 104, D. III, cons. 142, Amst. cons. Append. bl. 47, D. IV, cons. 264, D. VI, cons. 82, Append. bl. 333, quae sententiae omnes, deficiente conscientiae metu, neque bona

regula, „ ymandt die *uyt phrenesie ofte andersints door mistroostigheyt* syn selven om 't leven brenght, *verbeurt niet*". De Hooftio adeo, Praefecto Muidano, traditur, eum semper partem suam e bonis maleficorum viduis vel heredibus remisisse, eorum quidem maxime qui sibi manus intulissent, quum, nisi ex amentia, suicidium committi non posse censeret ([1]). Sed non tantum praxis, verum etiam communis ICtorum sententia hanc distinctionem servandam esse existimabat. Tuetur eam Damhouderius, Caroli V consiliarius, qui, quid in Brabantia et in Flandria juris fuerit referens: „Verum", inquit ([2]), „hanc consuetudinem velim pius Judex sanius ac restrictius intelligat, non de quibusvis sui homicidis: sed tantum de prioribus, qui *ex desperatione* et *ex malo proposito* sibi mortem consciscunt". Tuentur eam Zypaeus ([3]), Graswinckelius ([4]), Groenewegius ([5]), Bortius ([6]), Leeuwius ([7]), Roosebomius ([8]), Johannes Voetius ([9]),

---

a fisco vindicari, neque multam a praetoribus exigi posse, exactam vero restituendam esse constituunt. ([1]) Cf. Brandtius in ejus vita. ([2]) Prax. rer. crim. c. 88, n° 7. ([3]) Notit. jur. belg. Lib. IX, § de his qui sibi mort. consc., p. 236. ([4]) Van opperste macht, B. II, C. VI van den fisque, n[is] 53 volg. ([5]) De LL. abr., in L. I Cod. de bon. eor. ([6]) Tract. van crim. Saecken, Tit. X, n[is] 56 volg. ([7]) Parat. jur. nov. Lib. IV, P. III, c. 3, § 7, Cens. for. Lib. V, C. XI, § 14. ([8]) Rec. van versch. keur. en cost. binnen de stadt Amst., C. XIII, n° 6. ([9]) Ad Tit. D. de bon. eor., n° 2.

Boelius ([1]), Zurckius ([2]); Hugo Grotius tamen haec verba latius interpretabatur ([3]).

Bona igitur suicidarum, proposita distinctione vulgo admissa, antiquissimis temporibus publicabantur omnia ([4]); ita quidem ut haec publicatio non noceret parti alterius conjugis in communione bonorum ([5]). Ab hac tamen severitate in plerisque regionibus postea recessum variis privilegiis. Quum vero jura provincialia et urbana non nisi pedetentim a publicatione omnium bonorum rece-

---

([1]) Op. l. Tom. II, P. XIII, in primis p. 131 sq. ([2]) Cod. Bat. § XII A et B, p. 318 edit. 4^ae. ([3]) Inl. tot de boll. rechtsgel., B. II, D. I, § 44: „Maar vol regt heeft niemand over zijn leven: overzulks zijn altijd in Holland strafbaer geweest, die haer zelven *door opzet* verdeeden, schoon van geene misdaden zijnde beschuldigt..... Zoo verre ook dat vele Handtvesten, toelatende uytkoop van verbeurde goederen voor een kleyne penning, nevens eenige groote misdaed, ook deze *wanhoop* uytzonderen". ([4]) Memor. van den greffier Rose, A. I, fol. 24 verso, 15 Maart 1428: „Dat die zig zelf ombrengt al zijn goet verbeurt, dat afgekoft werd". Coll. ibid. sententiis d. VII Id. Maj. a. 1439 (C. I, fol. 20) et Non. Jul. a. 1443 (E. I, fol. 14). Gen. Priv. endo Handv. van den Lande van Zuydt-Hollandt, bl. 193, Dordr. 1628: „of yemant hem selven verdede, ende van lyf ter doot bracht, die soude verbeurt hebben syn goet dat hy achterliet, soo van outs constumelycken is gheweest". Cf. Kluit, Hist. der Holl. staatsreg., D. IV, bl. 442, Amst. 1804. ([5]) Cff. Abr. a Wesele, opp. omn. T. II, p. 157 sq., van der Eyck, corte Beschr. van Zuyt-Holl., bl. 275, A. 1, idem, Keur. van Zeel., C. III, A. 45, Du Laury, Jurispr. des Pays-Bas Autr., arr. 12, Ghewiet, droit Belg., T. I, p. 65, 353.

derent, primum cautum ne plus dimidia bonorum parte (de helft van *'s Mans eigenlyk goed*) pnblicaretur ([1]); ex hoc quidem principio, legitimam jure naturae liberis deberi ([2]). Haec norma, variis privilegiis instituta vel confirmata, recepta est cum universe in Hollandia, tam septentrionali quam meridionali, et in Frisia, tnm singularibus privilegiis in aliis item patriae nostrae regionibus ([3]). In Brabantia et in ea regione, quae ad Mosam superiorem sita est, si malefici nxor tantum superesset, dimidia pars bonorum, si etiam liberi, quarta duntaxat publicabatur ([4]). In urbe et in regione Groningana, si quis e conscientià sceleris manus sibi intulisset, si quidem liberi vel proximi cognati adessent, hi bessem retinebant et non nisi quadrans ad fiscum redibat, sin minus bona publicabantur omnia ([5]). In nonnullis harum

---

([1]) van Mieris, Charterb. van Holl., D. II, bl. 503: „Zo wie dair vochte, dat hi er syn lyf mede verboirde, dat syn wyf half dat eyghelicke goet behouden zoude". (Privilegium Cal. Nov. a[1] 1330 a comite incolis Sirienmondae concessum). Cf. Boel, op. l. p. 80 sqq. ([2]) Cff. Boel, p. 83, van Leeuwen, R. H. R., B. V, D. XXIX, § 4, bl. 670 volg. ([3]) De his privilegiis vide exquisitas disquisitiones Heemskerkii, Bat. Ark., bl. 414—446, et Boelii, op. l. passim. Cff. Groot Plac. B., D. III, bl. 352, groot Geld. Plac. B., D. II, Append. col. 81, Lams, Priv., bl. 854, 878, van Leeuwen, Batav. illustr. Tom. II, P. I, c. 12, p. 1217 sq. ([4]) Blyde incompste van vrouwe Maria van Bourgoignien, den 29 Mai 1477; apud Anselmum, cod. Belg. p. 70. ([5]) Landr. van Hunsingo, Fyvelingo ende het Wester-quar-

regionum bonorum publicatio vel tacite vel jure privilegiorum ([1]) redimi solebat ([2]); quae tamen redemtio, quae, nisi in ipsa bonorum executione, allegari non poterat ([3]), in Flandria ceterisque regionibus meridionalibus numquam recepta fuisse videtur. In aliis, quum ab odiosa bonorum publicationis institutione sensim recederent, bona postea non nisi ad certam summam, decem ([4]), vi-

---

tier, B. VII, A. 39: „Een Mensche, die sich selvest willemoedes dodet,.... gescbiede dat van eenen die om seker antegen Misdaed sitted in de hechte van Justitie, so is daertoo zyn goed dat recht verschenen; waren daer overst kinderen, so sal men den selven die twee deelen, ofte naeste Erfgenamen van 't goed behoulden laten, ende 't Recht den derden deel, uytgesondert notoyre Cranksinnigheydt". Coll. Landr. der beiden Old'-Ampten a[1] 1618, Lib. V, A. 41 et 51, quo jure bonorum publicatio in hac regione tanquam poenae corporis sequela abrogata esse videtur. ([1]) Cf. Boxhorn, Chron. van Zeel., Tom. I, p. 228 et in append. Tom. II, p. 532, Art. 2. ([2]) Vide Sent. en gew. zaken van den Hoogen en Prov. Raad in Holl., Zeel. en West-Vriesland, N° 79, 9 Febr. 1514, sec. curs. Cur. p. 287. Cff. aanteek. op de Decis. en Resol. van den hove van Holl., N° 114, bl. 62, 's Grav. 1751. ([3]) Cff. van Leeuwen, R. H. R., B. V, D. XXIX, n° 3, Boel, p. 98 sq., 109 sq. ([4]) Ord. en Keur. van den Lande van Putten van 1587, A. 71: „Of 't gebeurde dat iemand by ongeval syn leve quame te verroekeloosen.... soo sal degeene, die hem selven alsoo by snooder avontuuren gedood sal hebben, jegens den Officier verbeuren tien pond, sonder meer; mids 't welke alle syne goeden sullen vry en onbelast zyn". Cff. Boel, p. 163, 311 sq., 320, van der Eyck, Beschr. van Zuyt-Holl. bl. 345.

ginti ([1]), quinquaginta ([2]), sexaginta ([3]), septuaginta ([4]), octoginta ([5]) librarum vel florenorum, quae tamen summa centum libras ([6]) numquam excedebat, publicabantur; in aliis, ut in Transisalania ([7]) et maxima parte Gelriae ([8]), poena corporis vel numquam vel non nisi propter gravissima crimina bonorum publicatione cumulabatur; aliae denique regiones variis privilegiis omni bonorum publicatione liberabantur, quam liberationem impetrarunt oppidum Woerdenum ([9]), Ultrajectum ([10]),

---

([1]) Handv. van Amst. bl. 2 en 4 uitg. van 1662. Cff. Boel, p. 135, van der Eyck, p. 116 sq., 129. ([2]) Hsndv. en priv. der steede vsn den Briele, fol. 23. ([3]) Hsndv. en priv. der stsd Hssrlem, bl. 51, nitg. vsn 1751, Priv. B. der steede Leyden, get. A, fol. XXXI verso. Cff. Boel, p. 93 sq., 116, 291, Bleyswyk, Beschr. van Delf, D. I, H. III, bl. 69. ([4]) Cf. Bortius, Tract. crim. Tit. X, nº 137. ([5]) Cf. Groenewegius, de LL. abr., ad L. XI Cod. de bon. prosc. seu damn.. ([6]) Handv. van Amst., bl. 14, kol. 1. Cff. van Oudenhoven, Out-Holl. nu Zuyt-Holl., H. XII, bl. 308 et Boel, p. 52 sq., 312 sq., 377. ([7]) Landtr. van Over-Yssel, D. II, Tit. XXII, A. 2, Regt. en Gew. der stadt Deventer, D. IV, Tit. III, A. 13. ([8]) Reform. der Landr. van 't Graafsch. Zutphen, Tit. XI, A. 17, Ger. Landt-R. van de vier Boven-Ampten des Nymeeghschen Quart., Tit. XXXIV, A. 33, Landr. van Thielre- en Bommelre-weerden, C. XXXIX, A. 33. Cff. Gr. Geld. Plsc. B., D. II, bl. 135, Goris, adv. jnr. subc., Tract. I, c. 4, § 11. ([9]) Vide Matth. van der Hoeven, Handv. Chronyk, vsn Oud-Batavien, in praef. Coll. Boel, p. 296 sq. ([10]) In veteri charta, vulgo der Gilden, s[t] 1455, apud Mstthaeum, Tract. de nobil. Lib. I, c. 2, p. 15, Fran. 1698: „Item, die 't lyff verboert, ende men over recht, en sell geen goet verboeren mogen". Hoc privilegium confirmavit Carolus V, Prid.

Vlissinga [1], Brabantiae pagus Ghela [2] et in Flandria quatuor quae dicuntur Membra, jurisdictiones scilicet Gandavenses, Brugenses, Iprienses et Terrae Francae vel Urilatorum; hae quidem Constitutione Carolina Gandavensi, Prid. Cal. Maj. 1540, quae tamen crimina laesae majestatis, haereseos similiaque in publicatiouis poenam incidere constituebat [3]; quam restrictionem urbs Insula, quae jam privilegio Franciae regis Philippi Valesii, a° 1340, publicationis liberationem acceperat [4], postea redemit, ut e decreto Alberti et Isabellae, d. X Cal. Febr. a^{i} 1613, novimus [5]. Brugis adeo majus etiam concessum privilegium, omnis publicationis immunitas, ubicunque bona essent sita, qualiacunque crimina commissa [6]. In Episcopatu Leodiensi C.C.C. ad annum 1794 viguisse, in Hannonia [7] vero bonorum publicatio numquam inducta fuisse videtur.

Cal. April. a^{i} 1529, apud Matthaeum, Tract. de jur. glad., cap. 39, n° 8, pag. 662 et van de Water, Groot Utrechts Plac. Bock, D. III, B. I, bl. 322, A. 1, a quo tamen privilegio eximuntur crimina laesae majestatis, rebellionis similiaque. Cff. supra p. 105 et Matthaeus, de crim., ad L. XLVIII Dig. Tit. XX, n^{is} 17 sqq. (1) Cf. Boxhorn, Chronyk van Zeeland, D. I, bl. 195. (2) Cost. ende Usant. der Vryheyt ende Lande van Gheel, Tit. XX, A. 19, apud Christinaeum, op. l. Tom. I, p. 765. (3) A. 61. Coll. van den Hane in notis ad h. l. et ord., stat., edict. en placc. van Vlaendren, D. I, bl. 796 volg. fol. (4) De hujus privilegii ambitu fuse disputat Menochius, cons. 1007. (5) Coût. de la ville de Lille, Tit. des succ., art. 25 et le Bouck ad h. A. Cf. Ghewiet, droit Belg., Tom. I, p. 174, 352 suiv. (6) Cf. Jac. Marchantius, Flandria, L. I, p. 110. (7) Cff. Choppinus, de dom. Franc. Lib. I, tit. 8, n° 12, Tholosa-

Haec fuerunt bonorum publicationis fata in variis patriae nostrae regionibus; quae disquisitio, licet privilegia et jura provincialia et urbana plerumque de morte voluntaria diserte mentionem non faciant, vel sic tamen cum argumento nostro arctissime cohaeret, quum suicidium antiquitus jure patrio iis criminibus accenseretur, in quae constituta erat haec publicatio; quae, quum a scriptoribus jam inde a seculo decimo sexto tanquam institutio odiosa et injusta, quum afflicto non sit addenda afflictio, tanquam solius fisci vel Principis adminiculum in summum singulorum civium detrimentum proposita esset (¹), tandem sublata est edictis ordinum Hollandiae, d. VI Non. Maj. a[i] 1732 (²) et ordinum Zelandiae, d. XVII Cal. Jan. a[i] 1736 (³). Quum igitur in odium vocaretur bonorum publicatio, variis privilegiis in dies magis circumscriberetur et non nisi bona hujus suicidae tangeret, qui e malo proposito manus sibi intulisset, non mirum etiam in patria nostra receptam fuisse cum contrariam heredum probationem, tum cu-

---

nus, synt. jur. civ. Lib. XXXI, c. 31, n° 13, Nic. Burgundius, hist. Belg. Lib. III princ., p. 145 sq., Ingolst. 1633. (¹) Cff. Damhouderius, prax. crim. c. 66, n° 2 et 3, van Heemskerk, Bat. Ark., bl. 447 volg., Boelius, op. l. p. 39, 97, 100, 193 sq. (²) Groot Plac. Boeck, D. VI, bl. 577 volg. Cf. van der Vorm, Versterfr. bl. 246. In Frisia jam in desuetudinem abierat aetate Huberi, quem vide in jurispr. hod. Lib. VI, c. 25, § 1. (³) Gr. Plac. B., D. VII, bl. 844. Cf. van Cleeff, op. l. p. 98 sq., not. s.

ratoris in memoriam defuncti institutionem, quae cautela, qua cavebatur ne fiscus vel Princeps temere bona sibi vindicaret, in regionibus septentrionalibus, teste Graswinckelio([1]), jam Comitum tempore invaluit; quum in meridionalibus adeo Ludovici XIV de his curatoribus constitutio communis juris fuisse videatur ([2]).

Quod si de ignominia quaeramus, qua post mortem afficiebantur suicidarum cadavera, poena ecclesiastica, sepulturae honestae denegatio, una cum regum Francorum, quorum Capitularia etiam in his regionibus vim quandam legis exercuisse videntur ([3]), dominatione in patriam quoque nostram translata est. Praepositi ecclesiastici et Decani (Provisoren en Dekenen) adeo pro feralibus et oblationibus vel pro venia sepulturae in area ecclesiastica pecuniam exigere solebant, qui tamen abusus jam cessavit concordato Philippi, Ducis Burgundiae, cum Episcopo Ultrajectino([4]) Pridie Cal. Mart. ai 1434 facto, a° 1462 ab eodem ([5]) et deinde a° 1525 a Carolo V confirmato ([6]).

Prima civilis in suicidium cognitionis, quam e Saxonia ad nos translatam fuisse putabat Leeu-

---

([1]) Spec. Beschr. enz. van opp. macht, B. II, c. 6 van den Fisque, n^is 53 volg. ([2]) de Ghewiet, instit. du droit Belg., Tom. II, p. 401 suiv. Collata sententia apud Cannaert, Bijdr. tot het oude strafr. in Belgie, bl. 265, Brussel, 1829. ([3]) Cff. van Cleeff, op. l. p. 95, Oswaarde de jure circ. cad. eor., qui mort. inventi sunt, § 34, p. 31, Traj. ad Rhen. 1767. ([4]) Groot Plac. Boeck, D. III, bl. 392. ([5]) Ibid. p. 394. ([6]) p. 396, § 7.

wius ([1]), argutius verear quam verius, quum in Ripuariis Francorum legibus poenae in suicidas civilis incunabula quaerenda esse mihi visa sint ([2]), in patria nostra vestigia invenimus in statuto Zelandico Comitis Florentii V ai 1290, quo cautum ne cadavera suicidarum abducerentur, anteaquam de iis judex cognovisset ([3]); de qua cautione hoc statutum loquitur tanquam de re tum temporis usu recepta. Licet in eo de poena diserte nulla mentio fiat, civilem coërcitionem in suicidarum cadavera jam tum temporis constitutam fuisse, ex ipsis hujus edicti verbis patere videtur; quae opinio maxime confirmatur iis quae occurrunt in collectione actorum publicorum oppidi Brielae, suicidarum cadavera jam ante seculum decimum quintum ex antiquis consuetudinibus ad locum supplicii tracta ibique pedibus sursum suspensa fuisse ([4]); confirmatur sententia Curiae Supremae

---

([1]) Cens. for. Lib. V, C. XI, § 14. ([2]) Cf. sup. p. 90. ([3]) § 7: ,, So wanneer die Grave of man van sinen wegben an yemende spreeket (actionem instituit), spreect bi weder an den Grave, dat sullen sceyden die ghezworene: wel verstaande dat hier niet begrepen zyn *lieden, die henzelven dooden, dewelke sullen blyven ter plecken tot daar afgedaan zal worden by den Officier na de gelegenheit ende alzoo 't behoort*". ([4]) Polit. Regering enz. van den Briel, Tr. IV, c. 8, in van Alkemade, Beschr. van de stad Briele en den lande van Voorn, D. I, bl. 331, Rott. 1729, ubi haec verba notanda: ,, Bevint (het) Scependom, dat (yement) hem selven *willens ende wetende, in wanhopen*, ende *niet by snoeder aventuren*, hem selven oflivich gemaeckt heeft, (de) Rechter, *na ouden Custumen, Haircomen ende Rechten*, is sculdich dat

Hollandiae, d. IX Cal. Febr. a[i] 1508 ([1]), qua Scultetus Delphensis edixit Delphis et pluribus locis Hollandiae, Flandriae, Brabantiae, universe in his regionibus, a remotissimis temporibus (*dat geen memorie van menschen ter contrarie was*) consuetudinem invaluisse, eum qui manus sibi intulisset, extra urbem ad patibulum in furca suspendi (*omtrent die galge gehangen op een mikke of halve galge*).

In patria scilicet nostra, distinctione modo proposita pro variis suicidii caussis servata, cadaver e loco, ubi suicidium erat commissum, crati sive gerris impositum, ut refert Damhouderius ([2]) equo, ad locum publicum supplicii trahebatur ibique non in patibulo, sed, ut eo majore ignominia afficeretur et eum mortem sibi conscivisse omnibus innotesceret populoque spectaculum praeberet, in furca pedibus sursum suspendebatur; quod si vero domi manus sibi intulisset, cadaver funibus per foramen vel foveam, sub limine domus effossam, trahebatur ([3]); quod ultimum supplicii genus in plerisque regionibus, in Gelria, Flandria, universe in toto hodierno Belgarum regno

---

lichaem te *doen slepen ter steden*, ... ende aldair sal hy dat lichaem *mitten voeten opwairt doen hangen*, tot een teyken, dat hy hem selven gedoet heeft. ([1]) Sent. en gew. zaken van den Hoogen en Prov. Raad in Holl., Zeel. en West-Vriesl., N° 77, bl. 280. ([2]) Prax. rer. crim. c. 88, n° 1. Cff. Gudelinus, de jur. nov. Lib. V, c. 17 in f., Ant. Matthaeus, de crim., ad Lib. XLVIII Dig. Tit. V, n° 11, p. 479, van Cleeff, op. l. p. 94, 97, scriptoresque quos supra p. 129 sq. attulimus. ([3]) Damhouderius, l.l., n° 9.

non receptum fuisse, in aliis ab arbitrio judicum pependisse, Amstelodami vero in primis viguisse videtur (¹). Prima in suicidae cadaver sententia, quae aetatem tulit, in qua eductionis sub limine mentio occurrit, est Praetoris vel Ballivi Hagae Comitis, a° 1436 lata in hominem, qui ollae fragmenti ope jugulum sibi abscisserat, in qua sententia, licet exsecutione caruerit, illud tamen memoratu dignum, Ballivum edixisse, ejus cadaver e jure consuetudinario hujus regionis pedibus sursum inter duos canes esse suspendendum (²); quod supplicii genus confirmare videtur nostram sententiam, ignominiosum sepulturae asininae vel caninae nomen, non aliunde, non e sacro codice, sed ex ipso infamiae genere, quo cadavera suicidarum notabantur, esse repetendum; in patria saltem nostra sepulturae caninae nomen ipsum ignominiosum sepulturae genus significasse, ex exactione Sculteti Ultrajectini in cadaver sutoris famuli, qui suspendio fata properaverat a° 1548, dilucide apparet (³).

(¹) Cf. **Rooseboom**, Rec. van versch. keur. en cost. binn. de stadt Amst., C. XIII, § 7 en 8, bl. 55. (²) J. **de Riemer**, Beschr. van 's Gravenhage, Deel II, bl. 315 volg. (Geextrah. uit het tweede Memoriaalb. van **Rose**, gequot. A. 2 lo. fol. 200): „dat hy him (**Hendrik van Rode**) ter duyren wt soude doen sleepen ter galgen toe, ende dairan doen hangen by den halse, *overslaende een gat in de muyr te maeken, dair men sculdich wair wt te sleepen, mit twee honden daer men tusschen hangen soude*, eu dan mitten voeten opwairts te hangen, dat *na den rechten en gewoente van den Lande* alsoe behoeren soude." (³) Ex act. Ultraj. d. VI Cal. Jun. a° 1548, apud **Matthaeum**, de jur.

Antiquissimis temporibus in his regionibus cadaveris suicidae manus abscindebatur ([1]), quod supplicii genus in aliis quoque criminibus receptum fuisse novimus ([2]); nonnumquam etiam cadaver rotae imponebatur ([3]). In urbe et in regione Groningana suicidarnm cadavera concremabantur ([4]); infamiae genus, ut jam vidimus, huic regioni cum magna Germaniae parte commune; quod, nec in aliis patriae nostrae regionibus frustra quaerendum ([5]), seculo tamen decimo septimo, Felt-

---

glad., p. 620 : „ dat hy niet weerdich en is gebracht te worden door den deur ende inganck van des huys, daar hy inno gogaan is, dan dat men maicken sal een gat in den want des huys voorsz., ende slepen hem daer door *als een hont*, endo voorts goleyt to worden op een horde, ende dair medo hem slepen onder 't gerecht, endo hedecken hem aldair onder dio aarde *als een hont*". ([1]) Gener. Priv. van 1652, hl. 300, et Lams, Gr. Priv. B., hl. 201, A. 24: „mids dat de Baljuw of syn Substitnut al sulken dooden persoonen (drenkelingen enz.) do *hand niet en sal afhouwen*, gelyk men in ouden tyden plag te doen". Cf. Boel, op. l. p. 151 sqq. ([2]) Cf. Koning, lijfstraff. regtsoef. te Amst., hl. 90. ([3]) Vide edictum Non. Oct. a[i] 1546 ad carnificis mercedulam definiendam latum. Coll. Koning, p. 92. ([4]) Landr. van Hunsingo, Fyvelingo endo het Wester-quartier, B. VII, A. 39: „Een Menscho dio sich selvest willemoedes dodet, dat dodo Ligchaem sal men *bernen tot Pulver*". Idem constitutum erat in Landr. der heyden Old'-Ambten, B. V, A. 51. ([5]) Cf. Matthaeus, l.l., qui sententiam refert, ex act. Ultraj. d. XV Cal. Sept. a[i] 1533, in mulierem latam quae incantationis et atrocissimorum criminum convicta fata properaverat: „dat men dat doode lichaem sleypen sal op een horde opte Noede, ende *werpent op 't vuyr, ende verbernent tot Asse*".

manni ([1]) aetate, jam in desuetudinem abierat. In his suppliciis exsequendis quantum superstitio valuerit, neminem fugiet, modo eandem illam concremationem Graecis honestissimum sepulturae genus habitam fuisse reputet.

Amstelodami supplicia in suicidae infamiam severissime exigebantur; hic enim non tantum cavebatur ne amici cadaver clam sepelirent, sed supremi adeo Sculteti curae commissa erat fovea, per quam sub domus limine cadaver trahendum erat, quod, crati impositum, per plateas ad locum supplicii, *Voolewyk* dictum, ducebatur ([2]) ibique in puteum sub patibulo conjiciebatur, ut in primis novimus e notissima sententia, Cal. Jun. ai 1786, lata in cadaver famosi Stephani Annibalis, qui sub Albaniae Principis nomine innotuerat et conscientia sceleris venas sibi resolverat ([3]). Ipsum tamen supplicii genus a judicis arbitrio pependisse videtur, quum ex aliis sententiis cadaver saepe pedibus sursum in furca tanquam escam avibus suspensum fuisse appareat; quod prae ceteris

([1]) Tract. de cad. insp., C. XIX, § 8, qui § 10: „Groningae", inquit, „cadavera eorum, qui fati diem occuparunt per carnificem ejusque satellites traha noctu vehuntur ad locum aliquem in vallo ibique humantur. Ex gratia Amplissimus ordo saepe tamen loculum illis indulget". ([2]) Rooseboom, l.l. ([3]) Koning, op. l. p. 93 et 203 sq.: „Dat hetzelve doode ligbaam zal worden gelegt op een horde, en gesleept tot aan den Damrak, omme van daar te worden gebragt naar de Voolewyk, en aldaar gesmeeten te worden *in de Put onder de galge*".

testatur sententia, d. VII Id. Dec. a[i] 1792, lata in Henricum Roosebomium, qui, gravissimi furti convictus, in carcere suspendio vitam finierat (¹).

Quid universe in Hollandia, Zelandia et Frisia juris fuerit, novimus e sententia Sculteti Hornae et Austroblockeri, ab Alpheno in Psittaco suo relata (²): „Dat van allen ouden tyden in den Lande van Hollandt, Zeelandt ende Vrieslandt gebruyckt ende geobligeert was gheweest, soo wanneer yemant hem selven *met opsetten wille* verdede, dat alsdan het doode lichaem *gesleept* werde *besyden de deur van 't Huys, daer 't selve feyt geschiet was*, ende dattet daer naer *geleyt* werde *op een Horde* ende *gesleept op 't Galgevelt*, ende aldaer *gehangen in een Mick*, ofte indien de Officieren ende Rechters begeerden te doen eenige gratie, soo werd 't selve Lichaem *begraven onder de Galge* ofte *op 't Galgevelt*, of *etwaerts anders, daer geene menschen begraven en werden*"; qui locus Amstelodami antiquitus dicebatur *Ellendige Kerkhof* (³).

In plerisque tamen regionibus cadavera eorum qui animo deliberato vel e conscientia sceleris manus sibi intulerant, ceteris ignominiae indiciis mis-

---

(¹) van Hall, regtsgel. verh., bl. 229 volg., 243 volg.: „*by de beenen aan de galg .... gehangen, tot dat hetzelve* (het doode ligchaam) *door de lugt en het gevogelte des hemels zal zyn verteerd*". Cf. Koning, p. 95, not. 3. (²) Tom. II, p. 52. (³) De hoc loco vide Wagenaar, Amsterdam, St. I, fol. bl. 312 *a* et Koning, op. l. p. 96 sq.

sis, crati tantum imponebantur et ita ad locum supplicii tracta in furca suspendebantur, prouti constitutum invenimns, jure municipali Selverdensi in provincia Groningana ([1]), jure Gelrico ([2]), Antverpiensi, Deurnensi ([3]), Ipriensi, Castellensi ([4]).

Licet, ex iis quae monuimus, appareat diu ante seculum decimum quintum suicidarum cadavera ignominiose fuisse sepulta, non tamen inveni sententiam, hanc ignominiam in suicidae cadaver diserte constituentem, quae seculi decimi quarti finem excedat. Haec scilicet sententia ea est, quam tulit Petrus van den Velde, St. Johannis in Episcopatu Ultrajectino Praepositus, cui jurisdictio secularis commissa erat; qui, a° 1383 mortnus, annis, nt videtur, 1363, 1375, 1378, 1380 hoc munere functus est ([5]); verba, quae hanc sententiam referunt,

---

([1]) Selwerder Landt-Rechten, B. V, A. 43: „Die sich selven *moetwillens* omme brengen, sullen uitgesleept ende an *een halve galge* gehangen worden". ([2]) Gelr. Land- en Stad-regt in 't Over-Quart. van Ruremond, l.l. supra p. 127: „Als bevonden wordt,..... moet der Officier het doode lichaem aan die Gerichtsplaetse *in een Vorck of dergelyck holt* doen hangen, tot exempel van eenen jegelicken". Coll. Schomacher, Geld. cons., D. II, bl. 671. ([3]) l.l. p. 126 sq.: „Item, soo wanneer..... moet d'Officier het doode lichaem *aen de galghe in een vrocke* oft *micke* oft *dierghelycke* doen hanghen, ten exemple van eenen jeghelycken". Cf. Cannaert, Chronykje van Antwerpen, bl. 281 volg. ([4]) l.l., p. 127 sq. ([5]) De dissensu vide Aanh. op de kerk. oudh. van Nederl., bl. 189 volg., Utrecht 1744. Coll. Matthaeo, de jur. glad., p. 589 et de nohil., p. 630.

sunt haec: „ Quidam saltavit in aquam seu flumen Vecht et submersit se in jurisdictione prepositi prefati, qui fuit ex parte prepositi apprehensus et *tractus* sive *strationatus super certis fransschis cancellatis* et demum *sepultus in campis* (1).

In eadem hac urbe Ultrajectina, propter juris principium, quod in ea tuiti sunt judices, non praemittenda est sententia a° 1619 lata in Ledenbergium, qui, a secretis in hac urbe, turpem vitae exitum sibi praesagiens, e desperatione noctu cultro in ventrem bis adacto, ut mortem properaret, faucibus abscissis, miserrime periit. Cadaver ejus, ut moris erat, in sandapila crati impositum et ad locum supplicii tractum, in furca suspensum est (2); sed, quod consuetudinibus Ultrajectinis privilegiisque, huic regioni a Carolo V concessis (3), repugnabat, quodque fiebat praeter ipsius Ledenbergii sententiam, qui paullo ante mortem ad filium haec scripserat: „ Contre l'homme mort ne tombe pas sentence de confiscation de biens" (4), bona ejus publicata sunt. Simile principium tuiti sunt fisci procuratores Flandriae a° 1747 in caussa

(1) Dodt van Flensburg, Arch. voor kerk. en wer. gesch., D. III, bl. 116. (2) Wagenaar, Vaderl. Hist., D. X, bl. 370. Cf. van Hall, op. l. p. 227 sq. (3) Edicto d. IV Non. Maj. a° 1546. Coll. ejusdem Caroli privilegio, Prid. Cal. April. a° 1529, quod hujus edicti interpretationi inservit, et W. van der Meulen, Annott. over de Ordonn. voor den Hove van Utregt, D. II, Rubr. van Proces crim., A. 31 et Annott. over de cost. en usant. der stad Utrecht, D. II, Rubr. van Dootslagen, A. 1, n° 18. (4) Wagenaar, l.l., p. 291.

Johannis Overbekii, qui, accusatus homicidii, in carcere suspendio vitae finem imposuerat ([1]); quum vero in Flandria Constitutione Carolina Gandavensi crimina, nonnullis gravissimis exceptis, non amplius bonorum publicatione punirentur, suicidium vero, prouti in sententia in Ledenbergium pronuntiata *delictum* dicebatur ([2]), ita in hac vocaretur: „*eene goddeloose saeke ende teghen de nature, niet lydelyck sonder condigne reparatie, andere ter exempel*", satis probabile videtur fisci procuratores his gravissimis criminibus, crimini laesae majestatis vel haereseos, suicidium quoque adaequasse.

Militum quoque, qui, propter gravia delicta in vincula conjecti, capite damnati manus sibi intulerant, cadavera per plateas crati imposita trahebantur et patibulo suspendebantur, aliquando etiam sub patibulo sepeliebantur ([3]). Nonnumquam tamen, pro gravitate criminis, militum suicidarum cadavera immanissime fuisse habita, testatur sententia Concilii militaris Mosaetrajectini, d. XI Cal. Nov. a[i] 1701, in Antonii Imberti, militis proditionis rei, qui in vinculis suspendio et strangulatione poenam promeritam praeverterat, cadaver,

([1]) „ 't Hof recht doende, condemneert.... verclarende voorts *alle de goederen* van den selven Joannes van Overbeke, *'t sy leen, erve ofte cattheyl, waer die gestaen ofte gheleghen syn, geconfisqueert ten profyte van Zyne Majesteyt*". Vide Cannaert, Bijdr. enz., bl. 265 volg. ([2]) Wagenaar, D. X, Bijvoeg. en Aanm., bl. 92. ([3]) Cff. J. J. van Hasselt, de jud. mil., p. 173 et Feltmannus, de cadav. inspic., C. XIX, n[is] 2 et 10.

quod, ad locum supplicii more usitato tractum, amputato capite, in quatuor partes sectum ad urbis portas expositum est ([1]).

Licet nonnumquam majores nostri, gentium Germanicarum exemplum secuti, in suicidarum cadavera immanissime saevierint, ejusmodi tamen exempla rara fuisse fatendum est; judices enim plerumque, si quis animo deliberato seu e conscientia sceleris manus sibi intulisset, vel facinus illud in mitiorem partem interpretabantur vel proximis cognatis hanc infamiam redimendi veniam dabant; nonnumquam adeo totam poenam remissam fuisse constat ex exemplo Henrici van Rode superius allato ([2]), cujus cadaver, contra Ballivi sententiam, sororis fratrisque liberorum precibus honeste sepultum est. Carnificis arbitrio in his executionibus jam frena imposuit edictum Non. Oct. ai 1546 latum, mercede carnifici ejusque ministris constituta ([3]). Variis denique privilegiis, juribus

---

([1]) Hujus sententiae, barbariei novissimi adeo seculi insignis testimonii, verba haec erant: „Ceux du conseil de guerre sont convenus..... de condamner le corps dudit Anthoine Imbert, surnommé la Grange,.... d'être traîné du lieu de sa détention sur une claie à l'exécution, et là *sur un échafaut être mis* par le bourreau *en quatre quartiers*, et après y être resté un peu en spectacle public, *les parties dudit corps* seront mises en exemple et horreur aux autres et *demeureront exposées hors des portes de la ville*, scavoir les quatre quartiers aux portes de Bois-le-Duc, Bruxelles, Tongres et St. Pierre, et la tête hors la porte d'Allemagne. Cf. Cannaert, op. l. p. 263 sq. ([2]) p. 139. ([3]) Edict van den 7 Oct. 1546, betwelk het loon des scherpreg-

item provincialibus et municipalibus, ex quibus nonnulla jam supra retulimus ([1]), cum cautum ut judicis arbitrium coërceretur ([2]), tum ne defuncti cognati vel heredes ejus cadaver clam sepelirent ([3]); inter quae prae ceteris memoratu dignum est notissimum Magnum Mariae Privilegium, Prid. Id. Mart. a[i] 1476 Hollandiae, Zelandiae et Frisiae concessum: „Item gheene Beraders, noch andere Officiers in onsen voorsz. Landen, hoedanigh sy zyn, en

lers bepaalt voor het geregt van desperatie, enz., A. XI: „Item als het ghebeuren zal, dat iemand zyn selven zal hebben verongheluckt en ter dood ghebraght, en dat het dood lichaem zal moeten gesleept worden, en ter plaets patibulair ghehangen worden in den spriete, oft gheleyt worden op een radt, zal daar vooren aan den rescribent bygeleyt worden tot 9 guldens, en voor iederen knegt in swaere executien, daer den knegt noodig is, eenen gulden vier stuyvers". ([1]) p. 127, not. 2, p. 137, not. 3. ([2]) Cff. Holl. Cons. D. I, cons. 332, D. IV, cons. 264, van Alphen, l.l., Schorer ad Grotium, inl. tot de holl. rechtsgel., B. II, D. I, § 44. ([3]) Priv. Philippi, ducis Burgundiae, d. IV Id. Mart. a[i] 1455 Kennemariis concesso, A. 3, in Gener. Priv., bl. 47 et Lams, Gr. Prev. of Hantv. B. van Kennemer-land en Kennemer-gevolg, bl. 61; ejusdem Priv. hoc anno Zanae occidentali et Crommeniae dato, in Lams, Prev. B., bl. 873 et Bes. Priv. van West-Zaanden en Crommenie, bl. 56 volg.; Coris Kennemariis A. 24, in Gener. Priv. bl. 300, Voornensibus, A. 120, Puttensibus (Ordonn. en Keur. van den Lande van Putten, 18 Aug. 1587 gemaakt) A. 53; jure provinciali Transisalano, Tom. II, Tit. XXI, A. 2, municipali Daventriensi, Tom. IV, Tit. IV, A. 4. Cf. sententia Curiae Hollandiae, d. XV Cal. Sept. a 1447, in Memor. XII Rosae, fol. 46.

sullen moghen yemandt molesteren van lyf ofte van goederen, daer men yemant doot vint, onder dexel van dien, dat de doode hem selven verdaen, ende gedoot soude hebben, ten ware, dat men eerst wettelyk bevonden, dat die persoon hem selven *met opgesetten wille, ende met boosheydt* verdaen hadde, ende *men sal een eygelyck uyt het water mogen trecken*, die men daer inne vint, hy sy levende of doot, sonder verbeuren, maer indien hy doot bevonden wort, soo *sal men hem weder metten voeten in 't water leggen*" (1). De cujus tamen privilegii auctoritate, a quo, urbibus Middelburgo, Siricaea et Reymerswalio exceptis, Zelandia consuetudinum reformatione, a Philippo, duce Burgundiae, huic regioni a° 1495 concessa, palam recessit (2), merito quaeri potest, quum Mariae conjux Maximilianus illud jam non servaverit (3) ejusque filius Philippus Pulcer, quum in suam quidem tutelam venerat, sed summum imperium harum regionum pater Maximilianus ad eum nondum transtulerat, hoc privilegium coram harum regionum ordinibus solenniter abjuraverit (4); privilegiis adeo

(1) Hantv. ende priv. van vrouwe Maria, aengaende Hollandt, Zeelandt ende Vrieslandt in 't ghemeyn, A. 45, bl. 16, 's Grav. 1662. Occurrit etiam in Gr. Plac. B., D. II, bl. 658 et Handv. van Amst., bl. 31 volg. (2) Reformatie, Nieuwe Keure of Coustume van Zeeland, H. III, A. 12, in Gr. Plac. B., D. IV, bl. 992. (3) van der Spiegel, Satisf. der stad Goes, bl. 13, Goes, 1777. (4) Kluit, Hist. der Holl. staatsreg., D. I, bl. 12 volg.

omnibus Carolus V ejusque filius Philippus, licet hic in privilegia juraverit, sese opposuerint (1). — Quamvis haec fata privilegiorum auctoritatem toties labefactaverint, quaestio tamen, an vel quatenus illud Mariae privilegium legis quandam vim acceperit, a ICtis Batavis, recentiori etiam aevo, maxime agitata est. Quaestionem in primis suscitavit sententia Ballivi Rhenani d. VIII Id. Aug. a[i] 1640, Lugduni Batavorum lata in Guilielmum Slingelandium, cujus cadaver, licet taedio vitae se suspendisset, quum a nosocomii praesidibus clam sepultum fuisset, hic Ballivus effodiendum curavit, simul petens, ut clam noctu sepeliretur ejusque bona publicarentur omnia. Quamvis haec petitio effectu caruerit, haec tamen omnis ignominiae poenaeque absolutio unice tanquam exceptio in praesidum favorem a judicibus fuit concessa. Repugnat omnis sententia, in suicidam e taedio vitae poenam constituens, verbis in Mariae privilegio *met opgesetten wille ende met booshеydt;* Boelius (2) igitur, dicti privilegii auctoritate et distinctione nitens, contrarias opiniones referens Papii (3) et Leeuwii (4), quorum alter cadaver ejus, qui taedio vitae se ipsum interfecerit, in furca suspendendum esse, alter suicidam ex ejus-

---

(1) van der Spiegel, op. l. p. 14 sqq., 21 sqq. (2) Op. l. p. 146 sqq. (3) In obss. suis ad hanc sententiam. (4) Cost., keur. ende ordonn. van het Baljuschap ende Lande van Rynland, Keure CXXXVII, bl. 514 volg.

modi caussa poena dignum non esse, poenam igitur unice tanquam sequelam praetermissae cadaveris ad inspiciendum traditionis tueri licitum esse statuerat, Ballivi petitionem improbabat. — Sub finem praecedentis seculi duo de hoc privilegio prodierunt scripta, alterum Sixii ([1]), tuentis privilegii auctoritatem, Doornicii ([2]) alterum, Sixii argumenta subtiliter refellentis. Privilegii auctoritatem ne flocci quidem faciendam esse concedo; nonnulla vero ejus praescripta, ad quae illud etiam refero, quod modo attuli, consuetudine recepta, privilegiis, statutis vel coris confirmata fuisse, optimo jure contendere posse mihi videor.

In suicidii conatum jure patrio nullam poenam constitutam invenimus; is enim, qui e conscientia sceleris mortem sibi inferre tentaverat, unice puniebatur pro gravitate commissi criminis; si vero e desperatione, furore, dementia, magis commiseratione quam poena dignus censebatur, uniceque custodiebatur metu ne aliquando propositum suum exsequeretur ([3]).

Pronti publicationem bonorum, singulis privilegiis mitigatam, initio praecedentis seculi in plerisque regionibus abrogatam fuisse novimus, ita quoque

([1]) G. Six, diss. de Magn. Mar. Priv., Amst. 1779.
([2]) J. Doornik, de Magn. Mar. Priv., Lugd. Bat. 1792.
([3]) Cff. Tuldenus, Comm. in Lib. IX Cod. Tit. L, de bon. cor., n° 4, Perezius, eod., n° 3, Ossewaarde, op. l. § 15, p. 15 sq., Wynmalen, de autocheiria, c. 4, p. 60, Lugd. Bat. 1830.

posteros in executionibus cadaverum a majorum severitate paulatim recessisse non diffitendum est; neque enim eductionis per parietis foramen neque ignominiosae suspensionis inter duos canes ultimis temporibus exempla deprehendimus. Cadavera eorum, qui mentis non compotes manus sibi intulerant, vulgo honeste in area ecclesiastica cum decenti pompa lugubri sepulta fuisse, testantur cum scriptorum priorum seculorum de his suicidis judicia ([1]), tum varia privilegia, quibus cautum ut judicum arbitrium coërceretur. Constat adeo in dubio melancholiam summam vel furorem praesumtum fuisse judicemque tum defuncti propinquis vel viduae ut cadaver noctu quidem absque comitatu sepeliretur mandasse, sed vulgo tamen illud majorum tumulo inferre concessisse ([2]).

Viguit poena ignominiosa in suicidarum criminum convictorum cadavera ad finem praecedentis seculi, cujus exsecutionis Amstelodami a° 1794 ([3]), in Flandria a° 1795 ([4]) ultimum exemplum invenimus. Praeclarum autem illud juris criminalis recentioris principium, *omnem poenae exactionem*

([1]) Damhouderius, prax. rer. crim. c. 88, § 5, van Leeuwen, Cens. for. Lib. V, C. XI, § 14. ([2]) Cf. Feltmannus, de cadav. inspic. C. XXII, n° 10. Curia tamen provincialis Frisiae, d. XIV Cal. Jun. 1750, severius judicium tulit in cadaver sutoris, qui e summa melancholia, ebrietatis sequela, se in aquam conjecerat; sepeliendum illud quidem esse, sed ad patibulum. Cff. Ned. Jaarb. 1750, bl. 832 volg. ([3]) Cannaert, Kron. van Antw., bl. 281. ([4]) van Hall, op. l. p. 230.

cessare post mortem, a Francorum inde dominatione in patria quoque nostra receptum, in codice criminali pro regno Hollandiae diserte occurrit ([1]). Art. 376 hujus codicis verba, *die overleden zijn*, non tantum designare eos qui mortem naturalem obierint, sed generaliter omnes qui vita defuncti sint, inde maxime apparet, quod Legumlatores A. 20 Tit. III adumbrationis, ex quo cadaver morte puniti spectaculo perpetuo exponere licebat, in codicis criminalis sanctione non tantum non receperint, sed excluserint adeo novo Articulo, quo omnia punitorum cadavera sepelienda dicebantur ([2]), neque in suicidium, ne in illud quidem quod e sceleris conscientia commissum sit, ulla nova poena constituta neque bonorum publicatio, legibus antiquioribus dudum abrogata, codice criminali in usum revocata fuerit. Quod autem ad ipsa legis verba attinet, lex non dicebat, *mortuum in reatu non esse condemnandum*, sed multo generalius loquebatur, omnem poenae exactionem post mortem cessare, sive accusator publicus indicia quaedam criminis ad praeparandam ac-

---

([1]) Tit. XXX, C. I, A. 376: „*Alle strafvordering houdt op* ten aanzien van hen die *overleden* zijn, *vóór dat eenig vonnis ten hunnen laste is uitgesproken*" et A. 377: „*Door den dood des. veroordeelden* na het uitspreken van het vonnis *vervallen alle zoodanige straffen of gedeelten derzelve, welke uit hunnen aard niet meer uitvoerlijk zijn*". ([2]) Tit. III, C. I, A. 29: „*Het doode ligchaam van den gestraften moet altijd* in eene gewone kist geplaatst, en alzoo *begraven worden*."

cusationem comperta habuerit, sive accusationem jam instituerit, sive litem cum reo contestatus, sive reus confessus aut convictus fuerit; quicunque igitur esset status processus criminalis, qualecunque crimen commissum. Ceterum verba, *vóór dat eenig vonnis is uitgesproken*, indicabant solam sententiae definitionem, a judice ante rei mortem factam, non excludere effectum hujus Articuli; quum sententia nondum pronuntiata secundum juris rationem vim et effectum sententiae non habeat. Vox autem *strafvordering*, quum unice petitionem vel exactionem poenae jure criminali spectaret, poenas quidem pecuniarias in crimen constitutas excludebat, minime vero actiones civiles contra heredes defuncti instituendas, qui delicto suo sive privatis sive rei publicae damnum pecuniarium dedisset, ad damnum illud resarciendum ([1]), neque necessitate solvendi impensas processus criminalis liberabat, ad quas petendas accusatori publico actio civilis concedebatur. Quum vero ex Art. 377, sententia jam pronuntiata, post damnati mortem eae tantum poenae poenarumve partes cessarent, quarum natura non patiebatur ut exsecutioni darentur, quales procul dubio erant poenae corporales et capitales, poenae pecuniariae sive multae, quae, simul ac pronuntiata esset sententia, fisco deberi censebantur, e damnati patrimonio solvendae erant, sive quis in eas solas damnatus fuisset sive aliis poenis accessissent. Quaeri posset quid ex hujus codicis praeceptis juris

---

([1]) Tit. I, A. 8.

fuisse videretur, si reus damnatus fuisset ad poenam, quae mortuo quidem irrogari non poterat, cui tamen judex poenam pecuniariam substituere potuisset, quales casus nonnulli in codice criminali occurrebant ([1]); num igitur post mortem rei poena pecuniaria in ejus locum substituenda fuisset? Ad quam quaestionem quin negando sit respondendum, non dubium est; judex enim corporalem poenam pecuniariae praetulisse praesumebatur non sine caussa, sive ipsius rei inopiam sive aliam caussam respexerit; iniquum igitur fuisset heredum conditionem casu illo fortuito, voluntaria rei morte, deteriorem fieri; his vero accedit juris ratio, quae omnem quaestionem solvit, quod judici sententiam semel pronuntiatam mutare non liceat ([2]). Illud igitur ex horum Articulorum interpretatione redire videtur, abrogatam iis fuisse sepulturam caninam, poenae criminalis in reum convictum vel damnatum constitutae in ejus cadaver exsecutionem; sepulturam vero ecclesiasticam minus honestam, quae non poena verum tantum ecclesiastica quaedam coërcitio dicenda est, horum Articulorum verbis non excludi.

Hoc principium, quoad sepulturam, in patria nostra ad hunc diem servatum est, ita ut hodieque communiter idem luxus atque splendor in suicidarum ac in ceterorum mortuorum funeribus fieri non soleat, quod Belgice dicitur *bijzetten.* Ratione vero multae, quae poenam criminalem

---

([1]) A. 154, 160, 164. ([2]) A. 52.

sequebatur, diversa sunt juris criminalis Francici, quod per annos viginti octo in patria nostra viguit, diversa juris criminalis nostri hodierni principia. Jure Francico, quum mors omnia solvat, mulcta, quae vel pars poenae vel ipsa poena dicenda est ([1]), licet sententia jam pronuntiata sit, mortuo reo vel damnato omni effectu caret soláque civilis actio institui potest; jus vero nostrum criminale novum, licet ceteroquin juris Francici principia servet ([2]), fisco prospiciens constituit, ut ratione multae vel publicationis singularum quarundam rerum, in qualicunque statu processus versetur, accusationem post defuncti mortem accusator publicus, contra ejus heredes eosve qui defuncti locum occupent, vel incipiat vel persequatur; ut his quoque, si eorum intersit ut lis in judicium deducatur, eam instituere vel ad finem perducere liceat ([3]).

De institutis et legibus populorum septentrionalium.

Apud antiquos Chersonesi Cimbricae et Scandinaviae incolas, qui postea Gothorum nomine inclaruerunt, mors voluntaria non tantum licita, verum adeo officium virtutisque specimen ducebatur; morbo vero diem supremum obire ab his populis, rei bellicae deditis, probrosum habebatur.

([1]) Cod. Pén. A. 9. ([2]) A. 446 wetb. van strafr. ([3]) A. 447 sqq. ejusdem codicis. Coll. A. 207, al. 4.

In antiquissima harum gentium historia, mythis referta, Odini, stragis patris (*Valfodr*), fata celebrantur, qui, quum in Suecia graviter aegrotaret, amicis et ducibus circumstantibus, se in Scythiam, ut iis in concilio deorum patrocinaretur, proficisci dicens, novem jaculorum cuspidibus ut perfoderetur praecepit; quo vero majorem veri speciem adderet dictis suis, se Valhallam repetiturum finxit amicisque persuasit, ut, quibus Valhallae desiderium esset, hi ejus exemplum sequerentur neque illud mortis genus reformidarent, quod an subiret ipse Deus, ad vitam aeternam viam iis ut monstraret, non haesitaverat; huic demum ad Odini consortionem, ad Valhallae gaudia adspirare licere, qui mortem ferro praevertisset; illuc enim sine caede vel sanguine tendere nefas; in praelio vero vel ferro sive naturali sive violenta morte caesos per Odinum vel Valkyrias, ejus virgines, ad Valhallam animarum in Asgardia heroumque palatium invitari, ut e poculis e craniis humanis confectis biberent et carne suilla vescerentur (1): „Nostratibus", inquit Bartholinus, „sane hoc erat infallibiliter persuasum, animas non vulgares, neque senio morbove, sed cruenta morte et vi corporibus exeuntes, recta ad Valhallam ferri"; hinc quoque non soli, sed cum turba et comitatu quam maxi-

---

(1) Bartholinus, Antiqq. Dan. Lib. II, c. 7, 8, 11, 12, Hafn. 1689. Cff. Alg. vaderl. letteroef. 1792, St. II, Meng., bl. 375 volg., in primis vero Act. erud. Lips. a' 1689, p. 626 sqq.

mo, uxoris, cognatorum, amicorum, servorum, inferos petere solebant (¹). His praejudicatis opinionibus imbuti, senes in regione quadam remota Gothiae occidentalis ab alta rupe, *Aeternis Stapi* (rupe truncorum), in mare se praecipitare solebant, ut de Skapnartungro novimus, qui cum uxore, comitantibus liberis, laetus hilarisque praecipitem se dedisse fertur (²), Preslavius Danos mortem captivitati anteponerent cohortabatur. Bartholinus (³), de caussis agens contemtae a Danis adhuc gentilibus mortis, hanc refert legem Tockii, Palneri filii (vulgo Palna- vel Palnertocke), piratae seu regis maritimi: „Vir nemo Jombsburgi exsisteret, qui timoris verbum protulerit, vel quid apprehenderit, licet ad periculosissimum statum redactus fuerit"; quo item loco monet Jombsburgenses mortem non tantum aspernatos esse, verum etiam summa cum hilaritate exspectasse. Antiquissimis adeo temporibus apud Danos, quibus summa decori gloriosique exitus cura erat, infamia perpetua notabantur ii, qui, quum in proelio exitum sors iis negasset, non manus sibi inferrent, sed se senio vel morbo in lecto recubantes dissolvi paterentur. Starcatherus, ut ex infinitis exemplis unum alterumve referam, prolixa aetate defessus, stipendiis emeritis, ut senectutis infirmitate pristinum gloriae decus in-

---

(¹) Bartholinus, p. 514, 517. (²) Guatrekssaga, cap. 1 et 2, p. 8 et 12 ed. Upsal. 1664. Cf. Grimm, D. R. A., Bd. I, S. 486 f. (³) Op. l., Lib. I, c. 1, 2 et 4.

fringi non videretur, specioso vero obitu praeteritae vitae claritas augeretur, juveni, splendido loco nato, jugulum feriendum praebere quam sernm naturae jaculum operire maluit ([1]); Hundingus, rex Sueviae, ob falso acceptum de morte Hadingi, Daniae regis confoederati, nuntium in ipso opipari convivio in dolinm cerevisia refertum se praecipitavit; hic vero, ut parem illi gratiam referret, se ipsum publice suspendit ([2]).

Religio demnm Christiana, commercium cum populis Germanicis Danorum mutarunt principia et in Dania quoque jnris canonici et civilis praecepta ignominia quadam notarunt suicidarum cadavera. Nisi enim mala valetudo vel amentia eos istuc impulisset, ii qui manus sibi intulissent neque in templis neque in area ecclesiastica sepeliebantur; eorum vero bona, Domino vel Principi tribuenda, pnblicabantur omnia ([3]). Invaluit seriori aetate ea opinio, suicidium homicidio multo gravius crimen esse dicendnm; multi igitur e vitae taedio homicidia committebant, non inimicitia vel ulciscendi studio ducti, sed unice ut a judicibus capite damnarentur: suicidio commisso omnia facinoris expiandi remedia sublata esse, qnod si alium interfecissent, poenitentiae opportnnitatem non tolli, ipsum adeo scelns supplicio expiari ducebant. Quum autem in dies horrendum in modum cresceret homicidiorum numerus, excogitatum remedium, quo hoc malum

([1]) Saxo Grammaticus, Dan. Hist. Lib. VIII, p. 396, 405 ed. Müll. 1839. ([2]) Bartholinus, op. l., Lib. I, c. 4. ([3]) Wilkins, op. l. p. 90, 15.

coërceretur; lex scilicet sanxit genus mortis crudelissimum, quo homicidae ab imo ad summum torquerentur. Quod tormenti genus quum omni humanitati repugnaret, aliam mox viam legumlatores et magistratus ingressi sunt et, sublato gravissimo illo supplicio, homicidas e vitae taedio damnarunt ad poenam afflictivam carceris perpetuam, instituta quotannis flagellatione, quae poena non omni effectu caruisse videtur (1). Hafnia tamen, licet ab hoc inde tempore homicidia rariora facta sint, inter eas civitates hodieque referenda est, in quibus se interficiendi insania vires acquirit eundo (2).

In Suecia, in qua regione paucissima suicidia committuntur (3), e Caroli IX lege, a° 1608 publici juris facta (4), cadaver ejus, qui e qualicunque caussa necem sibi conscivisset, deducebatur ad silvam et exstructo rogo comburebatur; nisi constaret eum eo amentiae processisse, ut quid ageret prorsus nesciret; tum enim ut sui non compos in area ecclesiastica honeste sepeliebatur. Commisso suicidio Praeses judicii territorialis statim per baculum denunciatorium judicium convocabat; Nemda territorialis casum cognoscebat et judicii

---

(1) Cf. Michaëlis, l.l. Idem fere supplicii genus constituit codex Borussicus, Preuss. Landr. Th. II, Tit. 20, § 832. Cf. Klein, Grunds. des gem. Deutsch. und Preuss. peinl. R., § 262, 291. (2) Cf. Diez, der Selbstmord, S. 83, Tub. 1838. (3) Cff. Schlegel apud Hufelandium, Journ. der pract. Heilk., 1833, St. VI, S. 109 et Ontyd, over den zelfmoord, bl. 52, 's Grav. en Amst. 1839. (4) Cf. Loccenius, Sueciae legum prov. Tit. IX, c. 4.

Praeses sententiam ferebat; defuncti tamen bona ad heredes transibant.

In Lituania olim moris fuisse fertur, ut capite damnati ipsi crucem sibi erigerent et suis se manibus suspenderent, ne quis carnificis munere fungens caede contaminaretur; quod institutum a Vitoldo, Lituaniae duce, vulgo repetunt (1). Ad hoc crudelissimum supplicium in primis domini servos suos damnabant, quos, si ita in se saevire recusassent, minis verberibusque eo adigere solebant (2). Ceterum, prouti vulgo usu receptum erat apud populos barbaros, ita quoque in Lituania servi fidelissimi in dominorum rogum se conjiciebant (3). Peculiares in suicidas leges in Lituania universeque in Polonia non inveni; constat vero, inducta religione Christiana, juris canonici et Romani in suicidas principia in his quoque regionibus vim quandam exercuisse. Apud Royzium, in decisionibus Lituanicis (4), quaeritur an ejus, qui alveum aperuit, intestina sua laceravit ut moreretur, testamentum valeat, factum postquam jam vulnus sibi intulerat; fratres, ab intestato venientes, illud non valere censebant, tanquam testamentum furiosi; uxor vero, quae e testamento legatum accipere debebat, eum tempore facti testamenti sanae mentis fuisse dicebat.

---

(1) Montaigne, Essais, Liv. III, ch. 1, p. 15, Paris 1725. (2) Cf. Zwingerus, in theat. vit. hum., Vol. II, p. 488. (3) Cf. Guagninus, Rer. Polon., p. 327 ed. Franc. 1584. (4) Dec. I.

Royzius autem [1], exemplum referens Foroliviensis cujusdam civis, qui Cracoviae se jugulaverat in crimine non deprehensus cujusque bona non publicanda esse curia judicaverat, testamentum ejus, qui e furore manus sibi intulerit, valere censet [2].

In Russorum imperio antiquis legibus suicidii conatus infamia, poena adeo capitis plectebatur, nisi reum male sanum fuisse constaret: hodie vero sui ipsius caedes politiae transgressionibus accensetur et judicio officialium relinquitur, num defuncti cadaver inhoneste sepeliendum an omnis inquisitio omittenda videatur; is autem qui manus sibi inferre conatus sit, custoditur et ecclesiae curae committitur [3]. — Suicidia in provincia Casan hodieque fere ignota sunt [4]; populi contra nomades Russiae Asiaticae, populi barbari, hebetes, ignavi, debiles, omni hominis dignitatis cultusque sensu destituti, quum se ita facilius et citius in animarum regno resurrecturos esse puteut, propter minimos adeo dolores vel calamitates manus sibi inferunt, in primis si injurias vel inimicitias ulcisci nequeant. — In Russia seculo decimo septimo e dissensionibus in ecclesia Graeca exstitit secta Rascolnicorum (schismaticorum), ut vulgo dicuntur, vel Staroverzorum (antiquae fidei cultorum), ut se ipsos vocant; quorum vita rigiditate conspicua referebat vitam monachorum medio aevo.

---

[1] Ib. n° 23. [2] N^is 108 et 126. [3] Cod. crim. § 392 sq. Coll. von Jakob, Entwurf, in nota ad § 416, p. 162. [4] Cff. Diez, op. l. p. 80, Ontyd, op. l. p. 51 sq.

Superstitione maxime ducti, ad Circumcellionum vel Donatistarum instar a communi ecclesia recedentes suosque sacerdotes sibi eligentes, omnigenis tormentis summaque ignominia afficiebantur. Hae persecutiones eo valuerunt ut, quum inter eorum placita illud etiam referretur, mortem voluntariam summis meritis esse accensendam, ad furorem et rabiem usque exasperati, per centenos in aquam ignemve se conjicerent aliisve modis mortem sibi inferrent, ne in hostium manus inciderent, alios adeo minis vel cruciatibus eo adigerent, ut necem sibi quoque consciscerent. Factum itaque est, ut suicidium tanquam sanctum quid liberoque homine dignum, tanquam martyrium, quod pro doctrina sua subibant, colere inciperent. Hodie tamen, licet cum Petropoli tum in aliis Russiae partibus magnus hujus sectae assectarum numerus inveniatur, cessantibus persecutionibus ad meliorem frugem redacti, hanc se interficiendi insaniam compescere coeperunt ([1]).

Egimus hactenus de iis populis, vel qui e Christianae religionis principiis sua duxerunt vel quorum leges in horum instituta vim quandam exercuerunt; videamus igitur deinceps de iis, qui vel ab his principiis recesserunt vel ea numquam coluerunt, et primum quidem de Mahumeti asseclis, quorum religio ad Christianam proxime accedit.

([1]) Cf. in primis Staeudlinus, Gesch. der Vorst. und Lehr. vom Selbstm., S. 266—269, aliisque locis ibi relatis.

De Mahumeti asseclis.

Invaluit Islamismus apud eas maxime gentes quae, ut Turci, Persae, Arabes, certis religionis principiis carebant, apud quas ante Mahumeti aetatem vix ulla suicidii exempla inveuimus. Congruebat cum horum populorum indole, summa ἀπαθείᾳ et incuria conspicua, notio absolutae praedestinationis, quae vitae cursum naturalem exspectandum esse docebat omnemque ad suicidium propensionem tollebat. His vero accedit, quod ipse Mahumetus in Corano suo suicidium quatuor vitiis majoribus accenset, ut diserte hic locus testatur (1): „ O qui crediderunt.... non occidatis vos ipsos, quippe Deus est vobiscum misericors; qui autem fecerit hoc per transgressionem et iniquitatem, mox conjiciemus illum ustulandum in ignem: hoc autem erit apud Deum facile"; suspendiumque ad domi tectum, quasi per contemtum et ironiam, iis suadet, quos Deum Mahumetum ejusque asseclas tutari pigeret (2). Quem locum miror Zyronem (3) ita intellexisse, quasi Coranus suicidio faveret; notum enim Arabem, ingruente vitae taedio, deserta ingredi, ut ferarum praeda fiat, quum ut ipse manus sibi inferat Mahumeto non placere sibi persuasum habeat; apud has gentes adeo servum catenatum, qui quo minus vicinus servus manus sibi inferret non pro-

(1) Sura IV, v. 28, 29, p. 182 edit. Maracc. (2) Sura XXII, v. 15. (3) Op. l. p. 115.

hibuerit, virgis caedi et ad cadaver in montis collisve apicem ferendum, hinc vero illud praeceps dejiciendum cogi.

De paganis.

a) *Asiae incolis.*

Apud populos Asiae suicidii caussa princeps superstitio fuit; pronti vero mythis referta est antiquissima harum gentium historia, ita quoque plerumque latet prisca earum de suicidio sententia. Chaldaeos quidem, Baalis sacerdotes, quos Pantheistas astronomiae magis quam ritibus sacris operam navasse constat, ipsum Deum suicidam finxisse, cujus sanguis amputato capite terram irrigasset et hominibus ceterisque animalibus ortum dedisset, perhibetur; sed neque ex hac traditione, neque e nonnullis suicidarum apud Assyrios exemplis, Menonae, Semiramidis amore capti [1], Sardanapali [2], de eorum sententia, an suicidio faverint illudve impugnaverint, certi quid statuere licet. Latiorem spatiandi campum nobis reliquit Indorum, Sinensium, Japonensium historia.

Communis Deus, licet variis nominibus, Buddha ab Indis, Summonokodum a Siamensibus, Somonakutama a Paguanis, Foë vel Kekia a

---

[1] Diod. Sic. Bibl. Hist. II, 6, p. 95 ed. Rhod. [2] Athen. Deipn. XII, 7, p. 529 B ed. Cas., Diod. Sic. II, 27, p. 114 ed. Rhod., Just. Hist. Phil. I, 3.

Sinensibus, Xaca a Japonensibus nuncuparetur, ab his gentibus colebatur, eademque harum gentium de suicidio erant principia. Contemtum mortis alebat, cum ipsa eorum doctrina divina, qua rudem materiem omnium rerum principium esse docebant, secundum quam summa felicitas diccbatur contemplatio otiumque divinum, tum quod ipsum Deum, quem quingenties in hanc terram rediisse dicebant, ut carne sua inediae occurreret, manus sibi intulisse fingebant ([1]).

Apud Indos, jam a remotissimis inde temporibus, genus hominum fuit, quod Sapientes vocant; apud quos quum fati diem occupare pulcrum, mortem vero exspectare pro dedecore vitae haberetur, in rogum vivi se conjiciebant, quibus aut segnis aetas aut incommoda valetudo esset ([2]). Notissima sunt exempla Calani, sub Alexandro Macedone ([3]), Zarmari, Augusti temporibus ([4]); in quibus tamen ostentatio plurimum valuit. Gymnosophistae, qui vel in montibus vel nudi sub dio vel in urbibus agrisque una cum ceteris hominibus degebant, teste Strabone ([5]), divideban-

---

([1]) Cf. Buonafeda, op. l. p. 3 sqq. ([2]) Cic. Tusc. V, 27, Strab. Geogr. XV, p. 1043 D ed. Almel., Lucan. Phars. III, 240 sqq., Curt. Hist. Alex. VIII, 9. Coll. quos citat Baylius in voce *Brachmanes*, Not. *G*. ([3]) Diod. Sic. Bibl. Hist. XVII, 107, p. 573 edit. Rhodom., Plut. in Alex., p. 703 C, Aelian. V. H. II, 41, V, 6, Strab. Geogr. XV, p. 1042 B, 1043 A, B, Cic. Tusc. II, 22, de Div. I, 23. ([4]) Dio Cass. Hist. Rom. LIV, 9. ([5]) Lib. XV, p. 1038 D.

tur bifariam, in Brachmanas, quam speciem aliquando pro genere sumsisse videtur Strabo [1], et in Germanas; e quibus illi cultiores continuam mortis meditationem, vitae mortisque contemtum praecipuum philosophiae fundamentum esse ducebant [2]; hi rudiores vanam sua caede gloriolam sibi vindicare studebant. Brachmanes mortem voluntariam secundum doctrinam librorum suorum sacrorum, e quibus *Veda* eam commendasse, *Sastra* dissuasisse dicitur [3], quinque modis sibi consciscebant: inedia; concrematione, fimo quo se contexerant accenso; frigore, se in monte Thibete nive obruentes; se velut escam crocodilibus in Gange objicientes; denique apud *Alahabadem* ad Gangem vel fauces sibi praecidentes vel in flumen se conjicientes [4].

Hodieque in Bengalo in urbe Jagrenat, in qua sedes est supremi Brahmae sacerdotis, festum celebratur, quod dicitur *Ticonal;* cujus opportunitate aliquot millia Indorum currum trahunt, quo Dei imago magnifice instructa summa cum pompa ducitur; Indorum alii per centenos vel sub currus rotis vel in flumen se praecipitant; alii, quo majorem stragem edant, se torquent, omnes prae gaudio clamantes et vociferantes [5]. Similis dies festus

---

[1] Ib. p. 1047 A. Coll. Baylio, in vocibus *Gymnosophistes* et *Brachmanes*, Not. *F*. [2] Cf. Porph. de Abst. IV, § 17, p. 355 sqq. ed. de Rhoer. [3] Rhode, über religiöse Bildung, Mythologie und Philosophie der Hindus, Bd. 1, S. 451 folg., Leipz. 1827. [4] Cf. Haafner, Reise nach Koromandel, Amst. 1808. [5] Cff. Dict. des scienc. méd., Art. *suicide*, Tom.

quotannis in regno Arracano decernitur idolo Quiai Porae; idolum magno curui, quem nonaginta sacerdotes pannis Attalicis flavis induti sequuntur, imponitur; devotissimi quique in viam se conjiciunt, ut a sacro illo curru torqueantur vel spiculis consulto currui infixis se pungant et ita sanguine idolum spargant.

Indi vulgo arbitrabantur, esse quasdam urbes sacras, in quibus impune manus sibi inferre liceret; in Malabaria adeo malefici ad crudelissimum in idolorum honorem sacrificium damnabantur, quo duodecies cum duodecim cultris duodecim diversas corporis partes ferirent, in honorem Dei se immolari clamantes ([1]), et in urbe Guilacara die quodam festo, qui duodecimo quoque anno celebrabatur, Raja et devotissimi quique, carnis frustis incisis idolisque oblatis, se jugulabant ([2]). Apud Siamenses, licet hi homicidas severissime punirent, suicidae tanquam sancti homines colebantur; suicidium enim sacrificium esse censebant animae utile, virtutis felicitatisque conciliationem; hinc quoque haud raro, pietatis illo sensu ducti, suspendio ab arbore, *Toupo* dicto, vitae suae finem imponebant ([3]). In insulis Philippinis servi in pompa funebri domini occidebantur, eos, qui navi

LIII, p. 215 suiv., vel Esquirol, des mal. ment., Chap. *suicide*, Tom. I, p. 531. ([1]) Krünitz, Oekon. technol. Encycl., Bd. CLIII, voce *Selbstmord*, S. 124 f. ([2]) Algem. vaderl. letteroef. 1791, St. II, Meng., bl. 612 volg. ([3]) Cf. Hoffbauer, über den Selbstm., S. 20.

praepositi fuerant, certus remigum numerus in mortem comitabatur ([1]).

Latissimam profecto stragem haec superstitio edidit apud Indorum mulieres ([2]). Lex vel mos praecipiebat, ut uxor carissima cum defuncto conjuge cremaretur, viduaeque de ejus amore in certamen judiciumque venirent ([3]), quae certamina dijudicabantur a Brahmae sacerdotibus. Seriori demum aevo constitutum est, ut eximenda esset uxor gravida eave, cujus conjux peregre mortuus esset, hoc tamen casu, nisi ejus mitram vel cingulum, quod rogo imponeret, sibi comparasset. Mulieri vero non nisi viginti quatuor horas post conjugis mortem propositum significare licebat, quod si coram multis sacerdotibus et testibus declarasset, ab eo deflectere non amplius ei concedebatur. Victrix, ob castitatis illud testimonium gaudio exsultans, a cognatis laetum praeferentibus vultum deducta, conjugis flammis se injiciebat, ut cum eo cremaretur; quae concrematio, si mulieres essent ex uno alterove duorum priorum ordinum, summa cum pompa fiebat ([4]) et *Suttee* dicebatur. Supe-

---

([1]) Nouv. Journ. Asiat. VIII, 32, 29. ([2]) Cf. Schlegel apud Hufel., Journ. 1833, St. VI, S. 99, qui in una imperii Britannici provincia 3059 mulieres quatuor annorum spatio (1819—1823) hoc se devovendi more fata properasse refert. ([3]) Aelian. V. H. VII, 18, Val. Max. II, c. 6, § 14, Propert. Elegg. III, 11, 15 sqq. Cff. Hieronymus adv. Jov., I, 44, Tom. II, p. 310 ed. Vallars., Rev. Brit., Nov. 1827, p. 40—60. ([4]) De ceremoniis, quae in hoc ritu observari solebant, vide Montanum, op. l. Tom. II, c.

ratae tristes et moerentes in vita remanebant. In insula Bali, in qua mos ille vulgo receptus erat, etiam mulieres quarti ordinis se concremabant, quod non fiebat in ceteris Indiae partibus; frequentissima tamen hic quoque erant sacrificia mulierum secundi et tertii ordinis, quae etiam nonnunquam pugione se interficiebant, licet hic vitae exitus vulgo in hac insula ancillas maneret, quae reginam in rogum comitarentur. Haec uxorum devotio in insula Bali *Satya* (*Bila* in lingua Malaica) dicebatur, quum ancillarum immolatio *Bela* nuncuparetur ([1]). In insula Java ante inductum Islamismum mulieres item se in mariti rogum conjecisse hodieque constat. ([2]). Sacerdotum uxores in regno Narsinga vivae cum conjugibus sepeliebantur, ceterae tantum cum mariti cadavere in rogum conjiciebantur; moriente vero rege ejus uxor, concubinae, amasii omnesque ministri ejus rogum conscendere honori sibi ducebant. In insula Fiji principis et in insula Tonga sacerdotis supremi, qui *Tooitonga* dicebatur, uxor dilectissima juxta conjugis cadaver strangulabatur et cum eo sedens se-

---

29, Stavorinum, Reiz. naar Bat., Bant. en Beng., D. II, bl. 46 volg. et alg. vaderl. letteroef. 1819, St. II, Meng., bl. 267 volg., 1821, St. II, Meng., bl. 609 volg. ([1]) Cff. Crawfurd, Archip. II, p. 241—253, Abh. der kön. Akad. zu Berlin, 1832, Th. II, über die Verbind. zwisch. Indien u. Java, § 9, Wittwenverbr., S. 91 folg. ([2]) Cff. Crawfurd, op. l. II, p. 242, Raffles in historia sua insulae Javae, II, App. p. 225 et Verh. van het Bat. Gen., D. VIII, Afd. VII, bl. 12.

pelicbatur ([1]). Talis mulierum in conjugis rogum devotionis exempla in primis continent versus *Kawi* et liber *Maha Bharata* ([2]).

Mulierum se devovendi instituti primordia simplicissima erant, ut uxor, quae cum conjuge post mortem aeterna beatitate frueretur, vel in hujus rogum sponte se conjiceret vel illaesae castitatis vota nuncuparet ([3]): ejus originis vero quum duplex feratur traditio, altera ob mulierum perfidiam, qua conjuges e medio tollere solebant, altera, quod uxores primi legislatoris et prophetae Brahmae, quum conjugis amissi dolorem ferre non possent, in ejus rogum se conjecissent earumque exemplum principum Rajarum uxores essent secutae, a quo inde tempore Brahmae sacerdotes edixissent, eas mulieres, quae sponte conjuges in mortem sequerentur, ab omni migrandi necessitate liberas fore et statim in primum Boboonem, qui *Suttee* dicebatur, purgatione deductum iri ([4]); priorem, quam tuetur Diodorus Siculus ([5]), praeferendam putem. Indorum enim mulieres, quas invitas ad ejusmodi sacrificium cogere non licebat, minus e religiosa superstitione vel fide conjugali,

---

([1]) Cff. Abh. der kön. Acad. zu Berlin, l.l., p. 93. ([2]) Ibid. p. 89 sq. ([3]) Halhed, a Code of Gentoo Laws, or Ordinations of the Sundits, Ch. XX, Lond. 1777. ([4]) Cff. Halhed, Preface to Code of Gentoo Laws, Hollwell, Interesting historical Events, II, p. 90, Meiners, verm. phil. Schrift., Th. II, S. 186 f. ([5]) Op. l. XVII, 91, p. 561, XIX, 33, p. 679 ed. Rhodom. Cf. algem. vaderl. letteroef. 1791, St. II, Meng., bl. 607 volg.

quam e metu ne, si post mariti fata superessent, impietatis nota iis inureretur, a communibus sacris arcerentur et in inferiorem ordinem referrentur, conjugum cadaveribus se devovere solebant. Viduae scilicet, quarum adeo tactus impius ducebatur, apud Indos ignominiose tractabantur, a cognatorum arbitrio pendebant, qui eas a ceterorum hominum conspectu removere solebant, singulis diebus non nisi semel tenui crudoque cibo vescebantur, neque vestes versicolores gerere poterant (¹). Quantas vero haec mulieres concremandi insania radices egerit, experti sunt Angli, quorum indefessis demum laboribus fieri potuit, ut hic mos recentissimis temporibus in desuetudinem abiret (²).

Ceterum jam antiquissimo aevo illum mortis contemtum in Indorum moribus eminuisse testatur Diodorus Siculus (³), de Taprobanensibus, antiquis incolis ejus insulae, quae hodie dicitur *Ceylon*, referens, iis lege statutum fuisse, ut, qui certum annorum numerum explevissent, insolenti mortis genere sponte e vita discedere cogerentur; duo scilicet in hac insula crescebant herbarum genera, quibus senes sopiti sine ullo molestiae vel aegritudinis sensu, suavi correpti somno, exstinguebantur.

Sinenses quum, non virtutis cultu, sed oppressione omnium corporis animique facultatum eo nitantur,

---

(¹) Cff. Krünitz, op. l. p. 126, Diez, op. l. p. 137. (²) Zyro, op. l. p. 111. Coll. Hoffbauer, p. 19. (³) Op. l. II, 57, p. 140 ed. Rhodom.

ut, secundum suam doctrinam de animarum quadam migratione, ad principium omnium rerum citissime revertantur et cum eo in aeternum conjungantur, quum corpus non nisi luti molem esse censeant, hujus cultum negligunt, mortem vero tanquam solutionem ab hoc immundo vinculo appetendam esse ducunt eamque catervatim sibi inferunt. Tyrannorum dominationi parentes, non tantum eodem cultus gradu manserunt majorumque institutis steterunt, sed servili illo jugo enervati, omni sublimiori sensu destituti, vitam aeque ac mortem res indifferentes esse putant. Quum vero genus humanum densa subole in Sinensium imperio mirum in modum propagetur, mors voluntaria saepe apud eos remedium est, quo summae omnis victus inopiae, foedissimae paupertati occurrant. Plerique tamen vel bonorum desperatione vel malorum, quae perpeti coguntur, taedio manus sibi inferunt. Multa in singulos annos hominum millia vel in campis vel ad domus inimici foras, hujus laedendi consilio, injecto in fauces nodo, suspendio vitam finiunt vel e praerupta rupe, in cujus fastigio templum conditum est, in abyssum se conjiciunt vel in flumen insiliunt haustove levibus aliquando e caussis veneno mortem arcessunt. Notissima est traditio de quingentis illis Confucii sectatoribus qui, libris suis jussu Imperatoris Chi-Koang-Ti in ignem conjectis, praecipitio undis se immiserunt (¹). Ar-

(¹) Brucker, Hist. crit. phil., Tom. IV, P. II, p. 870.

bitrio capite damnatorum vulgo relinquitur an et quo modo mortem ipsi sibi consciscere cupiant, laesaeque majestatis rei sui ipsius nece ignominiosae poenae infamiam evitare solent ([1]); longe autem frequentiora, prout in genere apud populos orientales, ita quoque in imperio Sinensi, mulierum quam virorum sunt suicidia.

Licet haec ad suicidium propensio, cum religionis praeceptis arctissime conjuncta, Sinensium indoli velut innata videatur, exstiterunt tamen interdum legislatores vel judices, qui hoc malum lege coërcere studerent ([2]). Memoratu dignum est rescriptum a judice vel Mandarino Yaou ante hos quindecim fere annos latum in urbe Canton, in qua horrendum in modum suicidiorum, mulierum maxime, numerus in dies crescebat, ita ut e decem mortibus violentis novem suicidia essent; ex hoc rescripto mulieres Sinenses in circulis fabulis traditionibusque enarrandis tempus terere, plerumque morti conjunctim se devovendi consilium suscipere, nonnullas clam cubicula deserta irrepere, ut laqueo diem fatalem occuparent, alias in flumen se conjicere piscibusque tanquam escam cadaver praebere, alias cultro, alias veneno (*you*) sibi consulere consuevisse novimus; hujus vero desperationis caussas per quam futiles esse solere, indignationem quandam nullius momenti, ut ait rescriptum,

---

([1]) Duhalde, descr. de l'emp. de la Chine, Tom. I, p. 342. ([2]) Trigautius, de regno Sinae, Lib. I, c. 9, p. 218 sq., edit. Lugd. Bat. 1639.

passeris iracundiae similem, metum ne a conjugibus soceris obsequium praestare cogantur, paupertatis vel pravae conscientiae cruciatus. Judex rescripto suo praecepta quaedam moralia innectit, mulieres vero, ut eas a suicidio avertat, in primis monet, ne conjunctim, decem vel viginti, ut moris erat, una vinctis, in flumen se praecipitent (1).

Eadem fere de suicidio principia, eandem suicidarum frequentiam in imperio Japonensi invenimus. Japonenses, Buddhae cultores, qui, virtutis vitiique principia tuentes, plures felicitatis poenarumque post mortem gradus admittunt, virtute demum vitam aeternam acquirendam, ipsam suicidae actionem laude dignam, Deo gratam, virtutem esse ducunt, qua summam post hanc vitam homines felicitatem consequi possunt; quam doctrinam in primis profitentur Japonensium philosophi, qui *Suidosju* dicuntur (2). Japonensium alii rupes praeruptas conscendunt oculisque clausis ab earum cacuminibus proni se praecipitant, in Deorum honorem carmina canentes; alii sub rotis currus, quo idolum vehitur, alii e littore vel nave in Dei Amidae cultum in maris fluctus se conjiciunt vel una cum navi se submergunt; alii vivos sepulcro vel muris se includunt, parvum tantum foramen relinqui sinentes per quod aër introducatur, itaque mortem foedissimam per inediam subeunt,

---

(1) Cff. Journ. de la Belgique, N° 279, 6 Oct. 1829, Preuss. Staatszeit., N° 281, 10 Oct. 1829. (2) Cf. Kaempfer. Beschr. van Japan, B. III, H. VII, bl. 178.

ad ultimum halitum, Amidam, Amidam clamantes ([1]). Notissima est in hoc imperio secta fanaticorum, qui *Sendocivistae* nuncupantur, qui corpora sua torquent, vitam degentes summo rigore et severitate conspicuam, et animo intrepido velut ἐνθουσιάζοντες ensem in suum pectus convertunt. Multi vota faciunt se Imperatore non diutius esse victuros; cujus devotionis exempla cum alii, tum Kaempferus retulit duorum Japonensium, qui ad palatii foras ventrem sibi cultro aperuere ([2]). Servi, ut dominos delectent, violentas manus in se convertunt; magistri adeo coram discipulis, ut eos vitae mortisque contemtui assuefaciant, suicidia magnis laudibus tollunt. His denique accedunt, quae in Japonensium indole eminent maxime, summa ambitio, metusque ne honor, quo in societate gaudeant, levissima adeo macula laedatur. Hinc ille metus, quocum saepissime conjunctum est vindictae studium, suicidii iis esse solet caussa primaria; hinc saepe mulieres, ubi castitas periclitetur, voluntaria morte pudicitiam tuentur ([3]); hinc principes, non vulgari quadam venenorum specie, sed auro mortem sibi inferunt; ad mortem aliudve supplicium publicum damnati ventrem sibi dissecare solent, ne publicam ignominiam subire cogantur ([4]); nobilibus adeo pugio mittitur, ut

---

([1]) Charlevoix, Hist. du Japon, Tom. II, p. 69 suiv. ([2]) Cf. Krünitz, op. l., v. *Selbstmord*, p. 124. ([3]) Cf. Hoffbauer, op. l. p. 137 sq. ([4]) Journ. des Sav. 1689, p. 494, Kaempfer, op. l. Lib. IV, c. 3, p. 203, Lib. V,

violentas manus ipsi sibi inferant ([1]). Mortem voluntariam criminis rei arbitrantur esse piaculum, quo cum magistratibus, cum ipsa societate in gratiam redeant; in quo principio, licet non tantum omni morum doctrinae illud repugnare, verum etiam omnem legum vim tollere, neminem fugiat, inest tamen magnanimum quid, ut liberi ignominia liberentur, quae eos manet, quorum parentes legis vel principis vindictam exspectarent ([2]). Ventris hae incisiones, prouti reliqua etiam mortis voluntariae genera, fiunt cum pompa quadam et ostentatione, annuentibus et conclamantibus proximis cognatis et amicis ([3]). Japonensis scilicet, quum qualicunque tandem modo mortem arcessere animo conceperit, vigilias per aliquot noctes agens, amicis, quos propositi sui certiores fecerit, ad diem fatalem ab ejus ore pendentibus, cum his de morte contemnenda sermocinatur, saepe adeo coram populo oratione quadam consilium suum declarat; venerantur eum, varia munera offerentes, quicunque ei obviam eant; mortis die constituto, cognatos, amicos aliosque, quibuscunque suum exemplum sequi persuaserit, ad se vocat, eos ne ab incepto desistant adhortatur, solennique peracto convivio, terrae amicis-

c. 13, p. 406. ([1]) Lipsius, opp. omn. Tom. IV. p. 817, Gisb. Voetius, de hom. et laes. sui ips., opp. omn. Tom. IV, p. 269. ([2]) G. F. Meylan, Japan enz., uitg. door J. H. Tobias, Amst. 1830, bl. 180 volg. ([3]) Cf. Diez, op. l. p. 76 sq.

que valedicens, mortis viam ingreditur. Eos, qui ita diem supremum obierint, post mortem tanquam martyres summa veneratione prosequuntur; fana adeo in eorum memoriam condunt ([1]). Secundum peregrinatorum traditiones Ziogun dicitur esse unus e principibus sive regibus, qui Japoniam gubernant; hujus lateri adhaeret administrorum concilium, cujus decretis, quae ratihabendi caussa ei proponuntur, vulgo acquiescit; quod si vero ea rejiciat, e regia stirpe tres arbitri eliguntur, qui si administrorum decreta probent, Ziogun ad imperium abdicandum illudque legitimo suo successori tradendum cogitur; si hi quoque in Ziogunis sententiam pedibus iverint, administris nullum aliud remedium relinquitur quam ut, ictu ventre perforato, vitae suae finem imponant ([2]).

b) *Africae incolis.*

Licet antiquissima Africae incolarum historia mythis involuta sit, ea principia, quae suicidio favisse jam vidimus, de anima mundi et metempsychosi, apud eos quoque invaluisse constat, ut in primis elucet ex antiqua Aegyptiorum historia. Sesostris, qui oculis captus sponte e vita migraverat, non modo sacerdotum verum etiam ceterorum Aegyptiorum admirationem promeruit, quod, magnitudinem animi jam factis testatus, ipso vitae exitu

([1]) Cf. Charlevoix, l.l. ([2]) Cf. Hoffbauer, op. l. p. 30.

eam probasset ([1]). Mycerini filiam, quae prae dolore quod pater vim ipsi intulerat vitam suspendio finiisse dicitur, in bove quadam lignea intus cava extrinsecus inaurata, quae non sub terra reconderetur, sepultam, divino quodam honore cultam fuisse ex Herodoto ([2]) novimus. Antonii adeo et Cleopatrae aetate, horum quidem opera, in Aegypto condita est secta vel Academia commorientium (τῶν συναποθανουμένων), cujus sectatoribus, qui comissabundi omnigenis voluptatibus tempus terebant, hoc tantum curae erat, ut rationem excogitarent, qua jucundissime e vita discederent. Cleopatra varia venenorum lethalium genera collegisse, singula vero, ut illud periclitaretur, quod minimum inferret doloris sensum, iis, in quorum custodiam capite damnati traditi erant, obtulisse fertur; quum autem compertum haberet, acria celeriter quidem, sed cum dolore, leniora non nisi lente mortem inferre, bestias experiri coepit; alia aliis quotidie admovens, invenit solum aspidis morsum gravem soporem et torporem inducere sine ullo gemitu vel membrorum contractione; eos enim, qui ita sopiti essent, molli faciei sudore sensuumque stupore elanguescere similesque esse iis qui somno alto mersi se excitari et expergefieri aegre ferant ([3]).

([1]) Diod. Sic. op. l. I, 58, p. 53 ed. Rhod. ([2]) Hist. II, 129 sqq. ([3]) Plut. in M. Anton., Tom. I, p. 949 D, E ed. Xyl.

Apud Aethiopes lege sancitum erat, neminem e subditis morte plectere, si vel maxime capitali supplicio dignus judicaretur; mittebatur vero ad reum unus e lictoribus, signum mortis prae se ferens, quod simul ac reus vidisset domum abiens mortem sibi consciscebat ([1]). Incolae tamen Aethiopiae partis inferioris, qui vulgo *Bramae* dicuntur, sui ipsius caedem improbabant eosque, qui propria manu fata properassent, in divinum numen peccasse censebant ([2]).

Incolae insularum Canariensium, ut Deos venerarentur, certis diebus festis e fastigio templi vel cacumine montis in gurgitem se praecipitabant, ut summa felicitate, pulcerrimae mortis pretio, gauderent ([3]).

Historia Carthaginiensium referta est exemplis eorum, qui pro patria, honoris gloriaeque studio ducti, vim sibi intulerunt; notissima sunt devotio Philaenorum ([4]), Amilcaris holocaustum ([5]),

---

([1]) Diod. Sic. op. l. III, 5, p. 146 ed. Rhod. ([2]) Cf. Cau, de his qui sib. nec. etc., C. III, § 3, p. 29, Traj. ad Rhen. 1774. ([3]) Cf. le Chevalier de Chastelieux, de la félic. publ. ou cons. sur le sort des hommes, Tom. I, p. 100. ([4]) Val. Max. V, c. 6, ex. ext. 4, Sallust. de B. J. c. 79, Pomp. Mela, de situ orb. I, 7. ([5]) De ipsius Amilcaris morte antiqui dissentiunt; cff. Herod. Hist. VII, 165 sqq., Diod. Sic. op. l. XI, 22, Tom. II, p. 18 ed. Rhod., Polyaen. Strat. I, c. 27, § 2.

Imilconis ([1]), Magonis ([2]), Annibalis ([3]) suicidia.

Africam novimus patriam fuisse earum haereticorum sectarum, quae mortem voluntariam tanquam virtutem commendarunt; neque hodie Africanorum rara sunt suicidia, gentium Europaearum immanitati plerumque tribuenda. Ob futilem caussam nigri veneno, inedia, in fluctibus vitae exitum sibi quaerunt vel, si nulla opportunitas his ad libertatem viis uti iis concedat, spiritum intercludunt. Ii in primis, tam viri quam mulieres, qui ex Africa in Americam translati, in gentium Europaearum coloniis vilissimam agunt servitutem, catervatim, ex ordine collocati, suspendio vel submersione vitae finem imponunt et liberos una interficiunt, sibi persuasum habentes se cum libertate vitam in patria esse recuperaturos; nigri adeo, qui Montem Leonum accolunt, ne in servitutem incidant, mortem arcessere solent ([4]).

([1]) Cff. Diod. Sic. XIV, 76, p. 295 ed. Rhod., qui inedia, Oros. Hist. IV, 6, qui, in errorem ut videtur lapsus, gladio eum vitam finiisse, Just. Hist. Phil. XIX, 3, qui tantum eum mortem sibi conseivisse refert. ([2]) Plut. in Timol., p. 247 B. ([3]) De hujus quoque mortis genere non constat inter antiquos; cff. Liv. Hist. XXXIX, 51, Corn. Nep. in vita, c. 12, Plut. in vita, p. 380 D, E, Pausan. Graec. descr. VIII, 11, p. 623 ed. Kuhn. ([4]) Cff. Spix und Martius, Reise in Brasilien, Bd. II, S. 664 ff., Statius Muller, op. l. p. 16 sqq., Raynal, hist. phil. et pol. des établ. et du comm. des Européens dans les deux Indes, Tom. III, p. 175 suiv.

c) *Americae incolis.*

Primis Hispanorum dominationis temporibus Peruviani, Mexicani, idolorum templorumque eversione, Hispanorum crudelitate ad desperationem adducti, ingenti numero se interfecernnt, ita ut plures propria manu quam ferro hostili diem supremum obiisse videantur; plerisque enim incultis Americae gentibus a natura est inditum, ut manus sibi inferre malint, quam pati, vel suam libertatem imminui vel se ipsos ad labores cogi ([1]); saepe adeo e vitae taedio, ex ignavia summo aetatis vigore in tegetem se conjiciunt atque sine nlla corporis laesione, nullo sumto veneno, inedia intereunt. In Peruvia quoqne mos olim receptus erat, nt mulieres in conjugum rogum se conjicerent, sponte an invitae inter eruditos non constat ([2]). Apud Groenlandos, Irocesios, Indos Americae septentrionalis, gentes hebetes, omnis sensus sublimioris expertes, quarum parnm interest utrum vivant an moriantur, senes vulgo se interficiunt, ne a liberis ali cogantur; apud nonnullas adeo harum gentium liberi parentes morbo vel aetate confectos obtruncare solent ([3]). Soli Hurones, quantum novi, qui majori ceteris Americae septentrionalis gentibus

---

([1]) Cf. Robertson, Gesch. von Amer., Th. I, S. 392. ([2]) Cf. Krünitz, op. l., v. *Selbstmord*, p. 125. ([3]) Cff. Ammon, op. l., Tom. II, P. II, § 115, p. 8, Cau, l.l., Gött. hist. Mag., Bd. II, S. 104 ff., über den Hang mancher Völker zum Selbstm.

cultus gradu gaudent, suicidis sepulcrum juxta ceterorum mortuorum cadavera interdicunt neque eorum nominum in festis, quae quotidie in mortuorum honorem celebrantur, excitare memoriam solent ([1]).

Antea quam huic priori nostrae disquisitionis parti finem imponam, verbo monuisse juvat de sanctione quadam, quae in nonnullis recentioribus Americae rerum publicarum codicibus occurrit, ut mihi quidem videtur, utilissima; qua poena carceris aliquot annorum constituitur in suicidii instigatores, adjutores vel socios ([2]); cujus sanctionis omissio in plerisque Europaearum gentium codicibus toties gravissimis litibus ansam praebuit effecitque ut, pro judicum sententia, ejusdem criminis rei vel omni poenarum immunitate gauderent vel tanquam homicidii praemeditati rei capitali supplicio afficerentur ([3]).

([1]) Vide Charlevoix, voyage dans l'Amér. sept., passim. ([2]) Cod. crim. Brasiliensis P. III, A. 196, 1830, apud Foucher, Coll. des lois civ. et crim. des états mod., Tom. II, p. 78; Cod. crim. Louisianae Art. 548. ([3]) Cff. scriptores, quos attuli p. 94, n° 1.

PARS II.

DISQUISITIO CRITICA DE MORTE VOLUNTARIA.

Prout in priori commentatione quaestionem a primordiis duximus eo proposito ut, variis veterum philosophorum sententiis dijudicatis, ne antiquos quidem pro lubitu suicidio favisse ostenderemus, ita in secunda hujus disquisitionis parte, scriptorum recentiorum, qui suicidium probarunt, argumentis brevi conspectu propositis, ex ethicis maxime et religionis Christianae principiis ipsius actionis indolem et caussas dijudicandas esse censuimus, ita tamen ut, propositis remediis, quibus suicidia plerumque praeverti posse viderentur, totam disquisitionem ad ipsam civitatem ejusque commodum referremus.

Dogma de morte voluntaria certatim sibi vindicasse ICtos, medicos, philosophos, theologos jam

inde ab initio monuimus; quum vero singuli pro sua quisque doctrina de eo judicarent, hinc illae lacrymae, hinc fons omnium errorum. Praecedentium seculorum ICti plerumque criminibus, medici contra, omnem imputationem tollentes, morbis vel corporis vel animi suicidium ex qualicunque caussa accensendum esse duxerunt; philosophi, in extrema quaeque abeuntes, illud vel tanquam fortitudinis specimen, omnium vitae calamitatum perfugium, summis laudibus extulerunt vel tanqnam peccatum morale damnandum esse sibi persuasum habuerunt; scriptores denique ecclesiastici, quum caussas physicas, quae omnem imputationem tollunt, prorsus negligere et ne flocci quidem facere solerent, omnes qui manus sibi intulerunt, ob gravissimum peccatum in Deum et divinam providentiam, summo opprobrio affecerunt et ab omni ecclesiae ejusqne sacrorum communione excluserunt. Fuerunt singulis quidem sua merita, plerique tamen in hunc errorem lapsi sunt, ut suicidae actionem non nisi e doctrinae quam colebant principiis spectarent; a quo errore qunm maxime cavendum esse mihi videretur, eo enixus sum, ut singula haec placita suo pretio aestimarem. Neque eo consilio hanc disquisitionem institui, ut singulas scriptorum, eorum qni vel suicidium probarunt vel horum argumenta refutarunt, sententias, cantilenam toties decantatam, referrem, sed unice ut, propositis argumentis, quae in utramqne partem afferri solent, de suicidio ejusque natura eo majori jure certi quid statuere liceret.

Argumenta eorum, qui suicidium defendunt, eo fere redeunt. Vitam vocant proprietatem nostram, donum, quod nisi accedat jus alienandi cogitari non possit, a Deo nobis concessum, ut pro doni natura libere et pro arbitrio nostro de ea disponamus; quod si igitur haec potestas nobis data non sit, cum omnis doni notio tollitur, tum aeque peccat is, qui vitam tuetur quam qui eam profundit. Stultum idcirco eum dicendum esse censent, qui beneficia retineat, quae beneficia esse desinant et ingentes, perpetnos, intolerabiles dolores, summas adeo calamitates inferant, in primis si salva integraque virtute vix retineri queant; vitam unice datam esse, ut ea fruamur; cessante igitur caussa ejus effectum quoque tolli, eamque, simul ac malum fiat, relinquere nobis licere. Peccatum nonnulli, inquiunt, suicidium vocant; sed neque naturâ tam pravum peccatum est quam mendacium, quod tamen ipsi Patres ecclesiae, licet famae aeque ac vitae consulendum esse putarent, non semper curarunt, atque ipsa peccata non contra naturam esse fatendum est; quod si enim pravitatem unicuique insitam omnium peccatorum fontem esse reputemus, neminem fugiet, omnia peccata secundum naturam esse dicenda. Gravissime peccaremus in divinam providentiam, si Deum arbitraremur nos in hac vita retinuisse, ut omnigena tormenta perferrémus; rationem profecto tum nobis suadere ut, velut a Deo, qui vitam, ut eam relinqueremus, non ferendam reddidit, jussi et revocati, e vita tanquam e statione discedamus; in

qua statione si manendum esset, ut nonnulli contendunt, ne urbis quidem incolis rus vel aliorsum se conferre licitum esset. Auctor adeo operis notissimi, *Système de la nature*, quum omne religionis principium, omnem libertatem moralem tolleret, systema quoddam conderet necessitatis et materialismi omnesque hominum actiones a momento quodam, quo inscii et inviti moverentur, repeteret, aeque vitam deponendam esse duxit, quum non ferenda videretur, quam tuendam, si cum voluptate ea frueremur; nullum esse officium, nullam obligationem cum natura, nullum pactum cum societate civili conceptum, quod homines in vita retineret ([1]).

Corpus, cujus, prout vitae corporeae, pretium vilissimum esse existimant, dicunt esse molem quandam luteam, rejiciendam simul ac nocere nobis et putrefieri incipiat. Si Nilum, Danubium a cursu suo deducere licet, quo modo in divinam providentiam peccaremus, si cursum quarundam sanguinis unciarum turbaremus? Num minor in mundo erit ordo, anima a corpore sejuncta? Num

([1]) Système de la nature ou des loix du monde physique et du monde moral, Part. I, C. XIV, in primis p. 299 sqq., Lond. (ut videtur Par.) 1770. Auctorem hujus libri alii vocant Mirabeau, alii Helvetium vel Deliale, alii comitem d'Holbach. Cff. Dumas, Traité du suicide, Ch. VI, § II, p. 302 suiv., Ontyd, op. l. p. 69 sq., Ypey, gesch. van de Kristl. kerk in de 18de eeuw, D. I, St. II, bl. 51 volg., D. II, bl. 72 volg., Biograph. univ. anc. et mod. Tom. XX, p. 464 suiv., v. Holbach.

corpus, in qualemcunque materiem translatum, pretium suum amittet? Num animus, a corpore remotus, una cum vita corporea praestantiam suam deponet? Superbiam igitur hominum, magnitudine sua stupentium seque tanti aestimantium ut ordo omnium rerum ipsis carere vix posset, vocant fontem argumentorum eorum, qui suicidium impugnant, mortemque totius adeo generis humani atomum subtilem a cursu distractam fore contendunt, quam Deus non nisi propter infinitam suam cognitionem animadverteret.

Mortem nobis datam esse ajunt tanquam communem tutelam legum naturae, virtutum et officiorum, praesidium libertatis, otii et felicitatis, hujus vitae periculorum perfugium, dominam necessitatis, remedium contra summos dolores, veram scelerum expiationem; hinc neque omnem mortem sponte sibi conscitam desperationem esse dicendam, neque semper improbandam vel ignaviae tribuendam, quum saepe fortitudo vel religiosum quoddam principium hujus incepti caussa sit dicendum, ipsa adeo mors voluntaria nonnumquam heroicis actionibus adaequanda sit. Primarium hominis stimulum esse studium felicitatis; suicidium vero, quod ad officia περιςατικὰ referre solent, perfugium, quod virtuti injustitia hominum oppressae, homini ad desperationem adducto demere non liceat; manus adeo nobis inferamus oportere, si malo physico laedatur virium moralium exercitium, intereat ipsa libertas moralis. — Haec scilicet argumenta eo redeunt, ut vitam aliqua corporea uti-

litate ponderent et secundum naturam esse ducant malum corporeum fugere, corporeum item bonum sectari; dolores vero et calamitates, si modum quendam constitutum excedant, ferri non posse sibi persuasum habeant.

Vulgo quicunque suicidium tuentur, illud cum nullis officiis neque erga naturam neque erga civitatem neque erga Deum pugnare opinantur. Membrum resecare oportet, ut reliquas corporis partes integras servemus; quare non magis etiam animum, eximiam hanc, divinam adeo nostri partem, ut ejus saluti prospiciamus, a corporeis vinculis, a vitae illecebris liberare liceret? Vilissimo adeo servo vestem deponere conceditur, cur igitur libero homini, ut veram suam felicitatem, animi libertatem, tueatur, molestissimi illius corporis vinculi solutio imputaretur? Principi de civium vita disponendi, civitatem a cive, qui huic molestus videatur, liberandi potestas datur, quidni nobis, quum vita taedio esse incipiat, quum civitati oneri magis quam utilitati nos esse intelligamus, Deus propria manu vitam relinquere permitteret? Detrimentum autem, quod civitas vel propinqui e civis vel cognati morte capere dicuntur, est unice boni privatio non comparanda illa cum malo, quo nosmetipsos afficeremus, si vitam miseram inviti traheremus; quum vero societatis civilis scopus mutua sit utilitas, si oneri mihi esse incipiat, quis me impediet, quo minus eam relinquam? Quis non laudibus extollet actionem ejus, qui, quum ejus vita, senectute, morbis, calamitatibus fracta, ce-

teris civibus taedio esse incipiat, huic vitae finem imponat? Nullum denique praeceptum in codice sacro prohibet, quo minus mortem nobis inferamus, ipsa adeo natura nonnullorum animalium, pelicanorum, simiarum, quae necem sibi consciscunt, exempla praebet. Quod si suicidium humanae naturae repugnaret, neque tam vulgare esset, quum mors, cujus metus et horror nobis quasi innatus est, sensibus adversetur nec gaudium vel voluptatem afferre soleat, neque martyres summis laudibus elati fuissent neque nonnullorum populorum leges morti voluntariae favissent. Parvum vitae pretium morti sponte oppetitae, tanquam insigni fortitudinis documento, opponere, vitam opprobrio tegere, mortem voluntariam summis laudibus tollere solent.

Haec sunt argumenta, quibus suicidio patrocinia quaesiverunt qui mortem sibi inferendi insaniam propagare conati sunt: in Francia Montesquivius, Rossavius, scriptor anonymus operis *Système de la nature;* in Anglia Thomas Morus in Eutopia sua, Donna, Gildonus, qui ea, quae in priori opere, in quo suicidium defendit, scripserat, in posteriori refutavit, Humius; in Germania Robeccius, Calmaria-Suedus, qui duodecim argumentis nitens sophismatibus in primis delectatus est, Lindamour apud Mendelsohnum, Goethius in Werthero suo; prouti autem hoc opus in Germania, ita Donnae libellus in Anglia, Montesquivii et Rossavii scripta in Francia magnam auctoritatem nacti sunt multosque ad triste

illud propositum incitarunt; quod vero Robeccii opus, quod neque persuadendi vi neque acumine destitutum erat, omni effectu caruerit, cum Funccii animadversionibus tum linguae qua conscriptum erat, vulgari hominum captui non accommodatae, tribuendum est. Nonnullorum dubia erat sententia, prouti Montani, Duvergerii Haurani, abbatis Sigiranni, qui casus regios admittit, in quibus pro salute principis, patriae vel cognatorum, jubente ratione, quae divinae rationis locum tenet, manus sibi inferre concedatur, quas exceptiones etiam comprobarunt ICti Germani Henricus et Samuel Cocceji. Alberti Radicati, comitis Passerani, disputatio eo redit, ut probet metum mortis non esse a natura inditum; Voltarius modo vitam tanquam depositum non sine crimine sponte reddi posse contendit, modo fortitudinem ejus laudat, qui manus sibi inferat, quum summis viribus eum indigere censeat, cui vehementissimi naturae instinctus sint vincendi, modo, ubi de vitae salute desperemus, vitam opprobrium, mortem autem officium esse opinatur, et in tragoediis suis personas vulgo ita loquentes inducit, ut, si ex ejus mente locutae esse dicendae sint, quin eum acerrimis αὐτοχειρίας patronis accenseamus, non dubitemus; Maupertuisius mortem voluntariam concedit, quatenus religionis principiis non obstet. Nonnulli, ut Barbieri (¹), Friesius, Fredericus Ma-

(¹) Cf. Buonafeda, op. l. p. 96 sq., 271 sq.

gnus, e Stoicis principiis eam probabant; alii, ut Blockius et Barbeyracius ([1]), praesumtionem admittebant aliquem incidere posse in ea tempora, quibus appareat fata properare nobis concedi, ut, si suicidium remedium esse videatur veri et magni mali, quod moraliter vitari nequeat.

Argumenta eorum qui suicidium tueri conati sunt, quae eo redeunt, ut omne vinculum inter Deum et homines, omne summae Illius in homines potestatis, divinae in qualiacunque vitae humanae fata providentiae principium tollant, quaeque fere antiquorum philosophorum maxime Stoicorum placitis, quae plerumque in suam sententiam interpretati sunt, nituntur, ita conjunctim proposui, et ex iis, quae ad eorum sententiam confirmandam valere possent, consulto nihil praetermisi, ut, ratiociniis eorum qui suicidium impugnarunt oppositis, illorum debilitas, horum vero vis eo magis eluceret.

Vitam, si quidem adversarii donum ita interpretantur, ut ejus proprietatem nostram esse contendant, donum esse negamus; est enim bonum, cujus, quum sine consensu nostro illud acceperimus, neque eligendi neque alienandi jus concessum nobis est; non enim nobis vivimus, sed Deo; Deus vitae nostrae arbiter est et dominus, prouti ejus caussa et ratio. Vitam nuncupemus depositum, mutuum, usufructum, inaestimabile bonum, quod lege et jussu Dei Optimi Maximi consecuti

---

([1]) Ad Pufendorfium, de jur. nat. et gent., Lib. II, c. 4, § 19, not. 3.

sumus; manus nobis inferentes, vinculum, quo inde ab ortu nostro cum ipso Deo conjuncti sumus, frangimus, gravissimeque peccamus in divinam providentiam, bonitatem et justitiam, in caritatem et fidem debitam Deo, qui, hominum vitam eorum arbitrio minime relinquens, quum nostrorum summam curam gerat, in generis humani salutem Sui ipsiusque gloriam omnia sapientissime disposuit; rumpimus vinculum ab ipso Deo constitutum inter hanc vitam et vitam futuram. Terra scilicet eo destinata est, ut in ea vires nostras exerceamus, mentem excolamus, dotes morales, quae perfectionem, veram nostram felicitatem promoveant, acquiramus; terra est locus praeparationis ipsaque illa ad vitam aeternam praeparatio hujus vitae scopus; infinitum igitur est vitae nostrae pretium, ad quam servandam Deus praecepta optima, sapientissima, justissima nobis imposuit, quae, nisi divinae providentiae diffidere, vim adeo ei inferre velimus, caute tueamur necesse est. Licet decalogi praeceptum, *non occides*, ad suicidium referri nequeat, nullus locus in codice sacro occurrat, quo illud diserte improbetur, ipsam hujus codicis mentem illud dissuadere ubivis apparet; loca quae huc maxime respiciunt accuratissime exposuerunt cum codicis sacri interpretes tum universe doctrinae moralis scriptores, sed in tam brevi conspectu verbo de his monuisse sufficiat ([1]).

Corporis dolores, animi aegritudines non feren-

([1]) Cf. supra p. 65.

dos nonnulli tanquam justas suicidii caussas afferre solent; quas si suicidii patronis concedamus, tollitur omne officium, exstinguuntur virtutis igniculi; sine molestiis enim nihil magni, nihil praeclari peragi potest; sed, prout in re incerta amicus certus cernitur, ita quoque ipsa virtus in adversa fortuna maxime colitur. Considerant mala malis opposita, bona negligunt, neque tenent ipsa mala ad vitae futurae beatitatem assequendam necessaria esse dicenda et arctissime cum rerum universarum catena cohaerere; dolores corporis non ferendos ipsius naturae vi vinculum illud corporeum solvere, moerorem vero animi patientia, constantia, fide in divinam providentiam optime sanari; aegritudines morales, ex honoris amissione, laesa pudicitia aliisve caussis ortas, saepissime ab imaginatione vel voluntate nostra pendere. Quis unquam aureum illud praeceptum, *nosce te ipsum*, eatenus tenuisse dici potest, ut affirmare audeat, ipsos illos dolores neque majorum calamitatum praesidia neque futuri boni, verae felicitatis praesagia esse dicendos; ut normam se invenisse gloriari queat, vel dignoscendi an aut quatenus dolores perferendi, num veri an simulati nuncupandi sint, vel computandi utra summa, malorum an bonorum hujus vitae, post mortem praevaleat? Quotiescunque igitur morbis vel adversa fortuna cruciemur mortemque nobis inferendi foveamus propositum, quaecunque patiamur nos e divina voluntate pati cogitemus, suicidium vero diffidentiam summam prodere erga divinam providentiam, quam non verbis

tantum, sed facto laedimus. Gravem teneamus dolorem brevem, longum levem esse solere; ipsam vero in doloribus exercitationem optimum haud raro esse remedium, quo calamitates, quae hominibus praejudicatis opinionibus obcaecatis gravissimae videntur, levissimae fiunt; quod maxime testatur suicidarum historia, ex qua minimam adeo honoris laesionem apud nonnullas gentes justam fata properandi caussam fuisse novimus, quum contra historia martyrum, gravissimarum in ecclesia persecutionum temporibus, referta sit exemplis eorum, qui vehementissimos cum corporis tum animi cruciatus constanter pertulerunt eosque superarunt.

Quicunque corpus molem luteam vocat, ejus materiam ab usu et destinatione minime distinguit; materiae quidem formam mutare, pilam quadrare, membrum adeo corporis, ut reliquas partes servemus, resecare nobis conceditur, minime vero solvere arctissimum illud vinculum corpus inter et animum. Omnis natura est conservatrix sui, omnibus animalibus innatum, ut vitae suae saluti prospiciant; summa igitur lex, ratio illa insita in natura, de bono, cujus solum usufructum Deus nobis concessit, pro lubitu disponere vetat.

Tanta profecto est vis argumentorum eorum qui suicidium impugnant, ut, etiamsi omnem divinae providentiae curam tollas, ejus pravitas evidentissime probari queat; quod testantur cum juris naturae scriptorum tum plerorumque philosophorum de hoc argumento disquisitiones. Quicunque se interficit animum corpore mortuo superstitem fore

vel negat vel affirmat: si neget, quo argumento evincet, fieri non posse, quin animus a corpore solutus esse desinat? Conditio enim hominis, immortalitatis expertis, infelicitatis sibi conscii, ipsa brutorum sorte longe inferior magisque miseranda foret: si vero non dubitet, quin animus, corpore in cineres redacto, exstare pergat, quo modo exspectare poterit una cum morte omnem sensum sublatum iri, mala non sananda, conscientiae cruciatus, sponte morte properata esse desinitura? Summum est morale principium homini omnia esse facienda, e quibus ipse ceterique homines perfectiores fiant; perfectior autem homo tum demum fit, quando omnes ejus actiones inter se et cum ipsa natura conveniant. Prouti vero, ut ait Moses Mendeli filius, in scena, vitae communis imagine, nihil admiratione dignum, nisi quod affectus moveat, in ipsa autem vita nihil bonum aut honestum, nisi quod moralem nostram perfectionem promoveat, ita quoque mors voluntaria, quae in scena summis laudibus digna videtur, in ipsa vita summo opprobrio tegatur necesse est. Prima scilicet naturae lex est studium boni, secunda studium se conservandi; ipsum adeo corpus, cujus arctissimum cum animo est vinculum, organis vel instrumentis est praeditum ad hanc vitam tuendam destinatis. Homini igitur nec e jure naturali dominium competit in vitam suam, quum ipsa illa vitam tuendi obligatio, e corpore parta, omne dominii principium et cum eo omne jus libere disponendi de vita tollat, obligationem adeo pariat eà omittendi,

quibus fata properentur. His argumentis si et illud adjungas, amorem vitae, metum mortis homini a natura esse innatum, eum igitur, qui in eo est ut vitae finem imponat, summa qua agitatur desperatione metum illum naturalem vincere demum posse; suicidium quoque juri naturali repugnare elucebit.

Ratio, ut ait Spinoza, homini praecipit, ut verae suae utilitati et majori perfectioni prospiciat, se ipsum diligat vitamque servet; quum vero virtus, quae, vis motrix omnium actionum et per se expetenda, praestantia sua et utilitate prae ceteris rebus pollet, in eo consistat, ut quis secundum suae naturae leges agat, nemo vero nisi pro his legibus vitam servare studeat; inde sequitur in singulis hominibus omnis virtutis fontem esse, ut vitam servare studeant, omnis vero felicitatis, ut hanc suae saluti prospiciendi facultatem possideant; eos vero, qui manus sibi inferunt, animo debiles esse caussisque externis, quae naturae repugnant, vinci; hominibus igitur, quum a rebus externis se prorsus abstrahere nequeant, eo nitendum esse, ut conjunctim, communibus viribus in suam salutem et vitae conservationem omnem curam conferant.

Kantiana doctrina, quam deinceps excoluerunt et ad vulgarem hominum captum magis accommodarunt Schmidius, Fichtius et Tieftrunk, sui conservationem ad officia moralia, quae nullam conditionem vel exceptionem recipiunt (¹), refe-

(¹) Cf. N. allg. D. Bibl., Bd. XLIII, S. 364.

rens, mortis voluntariae pravitatem ex ideae officii severitate et accurata definitione, ex ipsa hominis dignitate probabat. Homo scilicet e Kantii sententia non est medium, sed in omnibus suis actionibus ipse sibi finis (*Zweck an sich selbst*) esse debet; corpore igitur suo non uti potest tanquam re vel instrumento ad fugiendas calamitates; sed, velut opifici, ita quoque homini a proposito munere recedere non licet, vita enim pensum est, ad quod perficiendum unusquisque se obstrinxit, vivendumque ei est, ut certa quaedam officia praestet. Homo ex hujus doctrinae principiis proponitur tanquam αὐτόνομος, quae αὐτονομία ex ipsa virtute oritur et fundamentum est cum dignitatis humanae tum uniuscujusque naturae rationalis. Si suicidium e morali principio committeretur, lex quoque foret quaedam communis; si vero lex communis, omnes se interficerent, non ut hanc terram relinquerent, sed quia iis tum finis esset, non esse; quod si igitur post hanc vitam nova vita inciperet, hanc continuo everterent et in infinitum procreationem sequeretur eversio. Ex eodem principio Kantiani membri mutilationem improbant, tanquam mortem voluntariam vel destructionem per partes ([1]). Hominis voluntas, a qua omnis officii notio oritur, sibi finem quendam proponit, unde omnes actiones procedunt, quae si cum eo conveniunt licitae, sin minus illicitae dicuntur. Mortem idcirco voluntariam Kantius vocat exstinctionem omnis moralis principii in

([1]) Cf. idem opus, Tom. XLVII, P. I, p. 10 sqq.

sua persona (*das Subject der Sittlichkeit in seiner Person vernichten*) eamque crimen, horrendum quid vocare non dubitat; quin ipsum non diutius vivendi desiderium contra officium esse censet, quum semper lassitudinem taediumque vitae prodat. Si vita futura, inquit Schmidius, experientiae vel scientiae demonstrativae objectus esset, officium conservationis non amplius foret vitae servandae officium, sed unice conservandi praesentem statum; nunc vero quum de futuro nostro statu certi quid statuere nobis non liceat, corpus non tanquam fortuitum quid, sed tanquam necessaria vitae conditio considerandum est. Kantianorum nimirum de suicidio sententia eo redit ut, omne religionis principium a doctrina morali sejungentes nullaque erga Deum officia agnoscentes, argumenta in suicidium, e religione Christiana repetenda, tanquam aliena, libertatem, ipsam doctrinam moralem turbantia considerarent, animorum immortalitatem contenderent suicidio magis favere quam repugnare, quum, hac spe nitentes, animum morte in meliorem statum transiturum speremus; missa vero immortalitate, suicidium tanquam libertatis omnisque moralis principii eversionem nobis proponamus.

Qui suicidium vocant viam ad libertatem, libertatem physicam cum morali confundunt, hanc tollunt, ut illam sibi vindicent. Fortitudo sane non magis cernitur in oppetenda morte quam in conservanda vita, non magis in fugiendis quam in perferendis doloribus; is profecto non fortis dicen-

dus est, qui adversa fortuna ad vitam abjiciendam se adigi patiatur, sed longe imbecillior eo, qui eam sustentare queat.

Variis argumentis, ex quibus suicidium, quatenus imputari possit, non tantum cum jure divino, verum etiam cum jure naturali, praeceptis ethicis, communi rerum ordine, ipsa ratione pugnare, ignaviam, dolorum impatientiam prodere apparet, expositis, accedimus ad quaestionem, pro disquisitionis nostrae natura gravissimam, an vel quatenus suicida in civitatem peccet; quae quaestio eo maxime redit, num in suicidam ejusque cadaver coërcitio poenalis constituenda, an vero, missa omni infamia, ipsum suicidium ethicis aliisve remediis praecavendum videatur.

Qui civitatis poenam in suicidae cadaver irrogandi facultatem defendunt, dicunt civem pactum vel obligationem iniisse cum societate et obligari legibus in civitate constitutis, esse velut partem alicujus systematis ([1]); jus igitur libere disponendi de vita cessare una cum introitu in civitatem. Civem affirmant suicidio se substrahere officiis, quae praestanda sunt amicis, fatribus, parentibus, liberis, conjugi; officiis, quae, in primis si aliqua dignitate vel existimatione in civitate gaudeat, huic praestare debuisset ([2]); adversari caritati, quae cum

([1]) Syst. de Phil. mor. de Hutcheson, traduit de l'Anglois par M. E*** Tom. II, p. 171 suiv. ([2]) Cff. Bibl. Brit. 1741, Tom. XVII, P. II, p. 254, et in primis Zyro, op. l. p. 9 sqq.

sui amore incipit, esse velut derelictionem sui ipsius ([1]); ipsam adeo suicidiorum frequentiam incitamentum esse ad homicidia, qui enim sibi non parcit, multo minus aliis parcere ([2]); nullum igitur crimen suicidium crudelitate superare. Munera civitatem nobis concessisse plurima, haec quoque ei nos remunerare debere; vindicare sibi officia nostra parentes, tutores, cognatos, amicos, quos saepe morte nostra ab omni spe et auxilio destituimus, summo dolore afficimus, pro iis, quae nobis praestiterunt. Extrema etiam vitae momenta, ipsum mortis genus, constantiam, qua summas calamitates, vehementissimos dolores perferimus, civitati prodesse posse, quum exemplum nostrum eo valeat, ut multi ad illud imitandum excitentur, manus vero nobis inferentes, gravissimarum calamitatum ipsi civitati auctores fiamus ([3]). Sustinere hominem in civitate ajunt personam sacram, cujus munus est, ut animum incultum omnigena doctrina informet et excolat, obsequatur virtutis imperio ejusque habenis obluctantes et luxuriantes voluptates compescat, humanam societatem pro viribus sustentet et adjuvet. Suicidio laedi jura aliorum, ceteros cives ad mortis, ad vitae aliorum contemtum incitari, vim legum poenalium imminui, saepissime adeo tolli; qui enim mori potest, cogi non

---

([1]) Stübel, N. Arch. des crim. R., Bd. IX, S. 559. ([2]) Cff. Decianus, tract. crim. Lib. IX, c. 1, § 17 sqq., Staeudlinus, p. 161 sq. ([3]) Cf. Dumas, Traité du suicide, Ch. V, p. 205 suiv.

posse: civitatem igitur affici summa injuria, quam ut a ceteris civibus avertat et singulorum saluti prospiciat, poena in suicidium ejusve conatum constituta, ulciscendi damnum illatum bonorumque suicidae publicatione resarciendi ei jus concedendum esse procul dubio contendunt (¹).

Quum haec gravissima quaestio ne nostris quidem temporibus obsoleverit, sed hodieque exstiterint, qui, ut Moeserus (²), Osiander (³), Guillonus, Fodéré (⁴), Mullerus (⁵), Armellino et Guerinus (⁶), poenae a civitate in suicidarum cadavera exactae, vel, ut Esquirollius (⁷) et Hufelandius (⁸), legum comminantium, ut alii deterreantur, aequitatem tuiti sunt, paullo accuratius de ea disserere a proposito nostro non alienum mihi visum est; quam ut rite solvamus, primum in varias suicidii caussas ipsiusque naturam inquirendum nobis erit; quae disquisitio omnibus, qui de morte voluntaria scripserunt, summi momenti visa est, factumque ita est ut recentioribus temporibus variae et multiplices caussae propiores et remotiores, impulsiones, animi corporisque vitia, quae ad suicidium incitare solent, accuratius investigata et acutius distincta sint. Disquiri coepit de

(¹) Bibl. Rais. des Sav., Tom. XXXVI, P. II, p. 303, 1746. (²) Patr. Phant., Bd. III, N° 21, S. 73 folg. (³) Ueb. d. Selbstm., S. 366 ff. (⁴) Cf. Wendt, der Selbstm., S. 201 f. (⁵) Statius Muller, over den zelfm., Verh. III, bl. 143. (⁶) In annott. ad Buonafedae op. l., p. 451 sqq. Coll. Buonafeda, p. 305. (⁷) Des mal. ment., Tom. I, p. 665. (⁸) Journ. der pract. Heilk., Bd. LXVIII, St. II, S. 104.

vi constitutionis corporis, tempestatis vel climatis in suicidium ejusque frequentiam; animadversum ad suicidium propensionem in quibusdam familiis esse hereditariam; quaesitum igitur an sit stimulus innatus ad suicidium ita excitans, ut ei resistere non possimus; in quibus quaestionibus solvendis summa medicinae forensis scriptorum merita fuisse fatendum est.

Prout omnes philosophorum disquisitiones eo redeunt, ut bona malave triplicis generis, animi, corporis et externa esse censeant, ita quoque nobis, suicidii caussas indagantibus, maxime placuit tripartita haec distributio. Oritur suicidium ex animi perturbatione vel prava constitutione, neque infrequens est apud eos qui mentis compotes non sunt ([1]), qui igitur libertatem naturalem possidere dici nequeunt. Alii ex affectuum pravitate, sive dèprimentur, ut e taedio vitae, sive concitentur, ut ex amoris libidine; alii e verae religionis defectu, cum ex omnis religionis inscitia et negligentia tum e fanatico pro religione fervore et superstitione, quae sane canssae primum locum occupant, e prava idea de vita futura, caussa, ut novimus, ex qua integrae sectae haereticorum mortem voluntariam commendarunt; alii ex educationis neglectu ([2]), nimio libertatis studio, ex quo fonte divitiarum voluptatumque cupiditas, vitae satietas, laboris impatientia vulgo manant, e perverso honoris sensu, quo casu

---

([1]) Cf. Esquirol, op. l. Tom. I, p. 559 sq. ([2]) Cf. Ontyd, op. l. p. 71 sqq.

suicidium arctissime cognatum est cum duellio ([1]), ex ambitione non expleta, e metu impendentis mali fata properarunt ([2]). — Suicidii porro caussae saepe sunt corporis morbi, ii maxime qui melancholiam excitant; qui vero, quum morbo laborent, manus sibi inferunt, illud potissimum mortis genus eligunt, quod affectionibus morbosis maxime est congruum; neque diffitendum has caussas physicas saepe a moralibus esse repetendas, licet nec iis assentiar, qui omnem naturalium caussarum in propensionem ad suicidium vim tollendam esse sibi persuasum habeant ([3]). — Tertio denique loco veniunt res externae, abusus, satietas voluptatum hujus vitae, et ex hac parte princeps suicidii caussa dicenda est ipsa civitas; quo enim plures in civitate stimuli ad morum corruptelam, eo major suicidarum numerus. Quamdiu scilicet civitas non tantum non huic corruptelae obviam eat, sed eam incitet, e quaestibus turpibus, aleatoriis, vinariis, lupanariis monopolium vel fiscum sibi creans; nonnullos auctoritate pollentes in pauperum damnum ditescere sinat, huic adeo avaritiae prospiciat, vectigalibus inique prementibus pauperiorem civium partem; hanc vero agendi rationem tueri non pigeat eos qui civitati praesint; quamdiu cum in diariis aliisve

---

([1]) Cf. Zyro, op. l., p. 48 sqq. ([2]) Lauvergne, de l'agonie et de la mort, Tom. I, Ch. VIII, in primis p. 262 sqq., 268 sq., 287, 290 sqq., Par. 1842. ([3]) Ontyd, op. l., p. 12 sqq. Coll. Grohmanno, in Hufeland's Journ. des pract. Heilk., Bd. LVII, St. II, S. 103, 1823.

scriptis tum in ludis publicis suicidae facinus sub specie quadam commendationis proponatur, mortis contemtus una cum affectibus excitetur ([1]), in tragoediis suicidium tanquam factum heroicum, eximiae fortitudinis specimen, in comoediis sub ridicula quadam specie tanquam futile negotium, minimarum vitae calamitatum perfugium, solius animae efflatus proponatur; quamdiu judicium de suicidae actione omni morali principio maneat destitutum, tamdiu suicidiorum e desperatione, e conscientiae cruciatu propter facinora turpissima, quae expiari non amplius queant, numerus in dies horrendum in modum crescet.

Neminem fugit, caussas externas hic enumerare infinitum fore; tot enim sunt numero, quot res, quae homines afficiunt; mortis vero voluntariae caussa aeque esse solet rerum externarum indigentia quam copia; aeque enim manus sibi inferunt aere alieno obruti, iique qui repentina quadam fortunae commutatione subito e divitibus pauperes sunt facti, quam qui, affluentibus copiis, vitae voluptatum et deliciarum satietatem et taedium conceperunt. Hujus scilicet suicidii generis caussa praecipua latet in depravatione totius societatis humanae ejusque constitutionis ([2]); hinc quoque

---

([1]) Cf. Frank, Syst. ein. vollst. med. Poliz., Bd. IV, Abth. II, Absch. II, S. 453, Mannh. 1788. ([2]) Cff. Mercier, Tableau de Paris, Tom. III, p. 193, Amst. 1782, Guerry, Essai sur la stat. mor. de la France, p. 66, Paris, 1833.

plurima suicidia committuntur vel post rerum novarum conversiones vel in iis regionibus, in quibus, prout in Anglia et Francia, summa est inter singulos cives commodorum vitae diversitas indeque orta summa aemulatio, in quibus injustitia, superbia, studium illud se evehendi in ampliorem ordinem, laesio honoris, lites domesticae discordias in civitate alunt. Hinc quoque apud gentes incultas rariora sunt suicidia, quia homo minoribus rebus indiget, minus frustratur, sive animus veras vel fictas calamitates, quae cultiores populos magis tangunt, minus sentiat, sive homo, ad naturae statum proxime accedens, magis aversetur actionem, quae directe cum naturae legibus pugnat.

Prouti vero res externae alio modo homines singulis vitae aetatibus afficiunt, ita quoque alios affectus in juventute, alios virili, alios senili aetate movent; hinc amor et taedium vitae [1] in juventute, ambitio decepta virili aetate praecipuae suicidii caussae esse solent. Vitae aetas et sexus vim quoque exercent in instrumenta necis eligenda; suspendunt se vulgo juvenes et senes, armis et pulvere cerebrum comburunt viri, mulieres desperationis, in primis vero violatae pudicitiae solatium in aquae fluctibus quaerunt.

Quod si igitur illud teneamus, caussas, e quibus suicidium oritur, esse triplicis generis, morales, physicas, externas; illae quaestiones, an suicidium criminibus sit accensendum, an alicui im-

[1] Cf. Esquirol, op. l. p. 553.

putari queat, quae imputatio ubi non adsit, nulla poenarum sanctio in suicidium constitui potest, sponte solvuntur. Quum caussae ejusmodi sint, ut vel alicui imputari queant, si quidem praeceptis moralibus repugnent, vel nequeant, si e morbis sive animi sive corporis oriantur, ex his apparet ipsum suicidium nec per se turpe facinus esse dicendum, nec unquam alicui imputari, caussas vero demum, ex quibus committatur, actionem, per se indifferentem, turpem reddere posse; non igitur animadvertendum esse in suicidam, sed caussas, ex quibus oriatur, caute esse investigandas, ut hae, quatenus fieri possit, contrariis remediis sanentur. Si propensio ad suicidium e turpitudine morali oriatur, magistros morum, religionis antistites adeamus; si e vitio quodam naturae animi vel corporis fabricae, sanationem medicis mandemus; si caussae externae adsint, quae ad suicidium incitare videantur, legislatoris, ipsius civitatis auxilium invocemus; hanc igitur hujus muneris, quod latissime patet, partem jurisprudentiae vindicemus; neque philosophorum, qui exquisitis suis disquisitionibus de hujus actionis natura et indole ceteris praeluxerunt ipsiusque quaestionis magnam partem solverunt, merita detrectemus. Cuncti igitur hanc quaestionem merito sibi vindicarunt, modo singuli suos fines non egrederentur. Errant scriptores ecclesiastici et ethici, qui suicidium peccatum, medici aliique, qui morbum animi vel corporis, monomaniam (*fixer Wahn*), constitutionis cerebri turba-

tionem, mentis alienationem vel aberrationem, melancholiam, insaniam vel furorem, ICti, qui scelus vel crimen esse statuerunt. Suicidium per se actio indifferens est, quae variis caussis, quae aeqne peccata, morbi, crimina, atque alius cujnscunque tandem generis res esse possnnt, variis modis afficitur. In suicidium, quicunque ejus indolem exponere conati sunt illudqne malum physicnm vel morale nnncuparnnt, transtulerunt ea, quae, ut quaestionem solverent, ejus caussis, quae, quatenus alicui imputari queant, naturae, rationi, humanitati, praeceptis moralibus, divinae voluntati adversantur, tribuere debuissent.

Quaestiones igitur num sponte an inviti cnm civitate obligationem contraxerimus, an suicida, quum hanc obligationem fregerit, post mortem puniri queat, si ita rem spectemns, vanae finnt declamationes; vanae etiam argumentationes eorum, qui statnunt, si suicidium non esset puniendum, omnia crimina poenarum immunitatem esse seculuram. Concedamus civem obligationem iniisse cnm societate, munera praestanda esse a singulis civibus, voluntaria morte neque obligationem teneri neque debita munera praestari; quod si hanc ob caussam suicidae actionem suam imputaremus, aeque, quin magis etiam iis qui peregre habitatum proficiscuntur, quum hi bona quoque sua secum ferant, suicida contra non tantum bona sed cadaver adeo civitati relinquat, civitatis derelictio impntanda foret. Civis, quum non sit civitatis possessio, neque obli-

gationem tenere neque munera praestare cogi potest, nisi quamdiu in civitate maneat. Sed fingamus hanc obligationem civem inter et civitatem tam sanctam et indissolubilem esse, ut civis eam nullo pacto solvere queat; proponamus nobis totum mundum tanquam civitatem, civemque e terra natali quidem, non vero e vita exire posse dicamus, mundum enim cive, parentes, uxorem, liberos, amicos, filio, conjuge, patre, amico ejus morte orbari ([1]); num, quaeso, civitati excogitandae forent poenae, quae non eum qui se ab ejus vinculis solverat, sed defuncti heredes vel cognatos, qui hanc obligationem tenuerunt, tangerent et damno vel ignominia afficerent? Quo vero modo puniri potest actio, cujus caussa plerumque latet, non tantum judicem, sed eum adeo qui manus sibi intulerit, in qua omnis voluntatis libertas desideratur ([2]) cujusque momenta soli Deo innotuerunt? Quum igitur talis sit hujus actionis natura, ut juris laesionem non constituat, sed a solo judice divino vindicari queat, inde sequitur omnem poenalem coërcitionem in suicidarum cadavera non tantum praeposteram dicendam esse, quum suicidam ab actione jam commissa non retinere possit, verum etiam cum omni juris et humanitatis principio et divinae providentiae fidei

([1]) Soden, op. l., § 269. ([2]) Cff. Grohmannus in Hufelandii op. l., Tom. LVII, P. II, p. 87 sq., 1823, Allg. D. Bibl., Bd. LIX, S. 388, Lauvergne, op. l., Tom. I, C. VIII, p. 283, 287.

repugnare, tum hujus esse naturae, ut ipsa civitas, quum membra sua, defuncti cognatos, cives forsitan optimos, summa ignominia afficiat, non defunctus ex ea detrimentum capiat. Civitati idcirco tantum licet suicidae actionem, si quidem e caussis turpibus oriri videatur, improbare, observantiam, exsequiarum pompam, quae ceteroquin ejus cadaveri concederentur, interdicere, minime vero in ejus cadaver poena quadam saevire. Improbanda ex eodem hoc principio omnis poena in suicidii conatum, licet haec ipsum reum tangat; incitamenta ad mortem voluntariam, sive e dolore, taedio vitae, aegritudine, inopia sive ex aliis caussis nascantur, tali poenali coërcitione non tolluntur vel minuuntur, sed plerumque adeo augentur. Quicunque igitur manus sibi inferre conatus sit, committatur curae familiae, sacrorum ministri, curatoris vel morum magistri, medici, ut sanetur, non vero ut puniatur; moralibus et physicis remediis, non poena suicidia praecaveri nnquam poterunt; omnis suicidii ejusve conatus coërcitio, a codice criminali removenda, non a judice criminali, sed ab ecclesia, a medicis, a civitate petenda est. Qualicunque modo nobis vinculum illud civem inter et civitatem proponamus, omnem criminalem in suicidae cadaver ejusve bona constitutionem injuriam summam dicendam esse apparet; merito igitur ICti plerique, a Beccariae [1]

[1] Traité des dél. et des pein., § XXXV, p. 141 suiv.

inde aetate, omnem poenam in suicidae cadaver, quae unice ejus cognatos vel heredes damno et ignominia afficere solet, improbare coeperunt.

Tota quaestio hodie eo redit, ut optima inveniantur remedia, quibus suicidia praevertantur; inquirendae erunt caussae, quae vulgo ad suicidium ducunt, his vero inventis, adhibenda erunt contraria remedia. Propensio ad suicidium, siquidem e caussis oriatur, quae ethices praeceptis repugnant, non e corporis morbis, insania, furore, aliisve caussis, quae medicorum operam requirunt ([1]), optime summa educationis cura, cultu non tantum ingenii verum maxime animi, optimis doctrinae moralis et religionis Christianae praeceptis praeverti potest. Summam civitas juventutis ejusque educationis curam gerat, caveat ut omnia, quae pravitatis speciem prae se ferant a publicis institutis removeantur, ut puerilis disciplinae tutela talibus commendetur praeceptoribus, qui discipulis, non libidine, sed morum severitate praeeant, qui non lucri, sed unice suos discipulos emendandi et excolendi studio ducantur. Frangatur juventutis morositas magnaque de meritis suis opinio, exerceatur ejus patientia et modestia; in se suosque affectus imperium gerere discant ([2]). — Prospiciendum porro civitati ne cives inique vectigalibus premat et una cum paupertate incitamenta ad desperationem au-

———

édit. de 1771. Cf. Brissot de Warville, théor. des loix crim. Tom. I, p. 323. ([1]) De quibus vide Esquirol, op. l. Tom. I, p. 659 sq. ([2]) Cf. Zyro, op. l., p. 192 sq.

geat; voluptatis caussas, quatenus fieri queat, tollat vel temperet, ipsâ formâ regiminis simplicitatis morumque severitatis ceteris civibus exemplar praebeat; maxime autem caveat ne fisci opes augere studeat, quaestus, qui omni morali principio repugnent, non tantum permittens, verum adeo tutela sua alens. ne pravae ambitionis stimulos moveat, munera publica venalia reddat, nonnullos cives in aliorum detrimentum in tutelam suam recipiat, plerorumque merita contemnat, ut unice nonnullorum saluti prospiciat; spem enim quotidie frustratam, tum maxime si quis injuria summa se affectum esse sibi persuasum habeat, nisi animum excelsum optimisque principiis imbutum quis gerens hanc injuriam, invidi et abjecti aemuli aculeos patienter ferre didicerit, saepissime desperationis, suicidii caussam esse, neminem fugiet, qui illas civitates, in quibus publica potestas omnium civium saluti prospicit, singulos cives vectigalibus aequabiliter premit, in muneribus tribuendis non favoris, non agnationis aut affinitatis, sed unice meritorum normam sequitur, cum iis comparet, in quibus vel potentissimi quique, tyrannicae potestatis tormenta, iniqua vectigalium perceptio populum pauperioremve civium partem premunt, vel licentia et morum pravitate pessimi affectus excitantur ([1]). Non Utopiam fingimus, non Romanorum Censores in memoriam revocamus, sed illud contendimus, si civitas ejus-

([1]) Cf. Diez, op. l., p. 76 sqq.

que moderatores pauperioris civium partis, vulgi saluti, cujus socordia et morum corruptela nostris temporibus, eheu! in dies crescit, magis prospicerent, ipsa civitas non largitionis, sed summae parcimoniae exemplum ederet et summa cum sollicitudine ea remedia excogitaret, quibus cum levarentur onera, quae vulgo hanc civium partem maxime premunt, tum e desidia et dissolutis moribus laborum patientiae, morum austeritati cives assuefierent; fore ut pretia vivendi augerentur, minuerentur vero suicidii caussae. — Ipsa denique suicidiorum publicatio, modo sub civitatis auspiciis rite instituatur, uberrimos fructus ferre potest; afferantur caussae, e quibus suicidia videantur commissa, ostendatur simul harum caussarum vel pravitas vel futilitas, ut omnes qui in eodem errore versentur, moneantur, doceantur [1]; minime igitur improbanda est ipsa suicidiorum publicatio, prouti Zyroni [2] videbatur, sed demum ratio, qua hodie palam fieri solent [3]. Omittenda omnis ostentatio, cum quae publicationem promoveat tum quae eam prohibeat.

Falsa est eorum argumentatio, qui statuunt, si quis semel vitae finem imponere animo conceperit, omnia remedia vana esse dicenda. Prout ad suicidium propensio oritur e minimarum caussarum concursu, ita idem remediorum concursus eo inser-

---

[1] Statius Muller, op. l., p. 140 sqq., Coll. Guerry, op. l., p. 68 sq. [2] Op. l., p. 187 sq. [3] Cff. Annott. ad Buonafedae op. l., Introd. p. XII sqq.

viet, ut quis omnem fata properandi cogitationem mittat; nt enim in vita homines, poenis propositis, a maleficiis deterreri solent, nonne cogitatio de poenis, quae propter peccata, in hac vita commissa, post mortem maneant, ita ali posset, ut ipsa hac cogitatione ad meliorem frugem reducerentur et a proposito suo averterentur? Reputemus modo hominibus a natnra innatum esse se conservandi studium, eos idcirco aegre eo adduci, nt manns sibi inferant; quum igitnr homo, anteaquam propositnm suum exsequatur, semper ad gravissimum certamen se accingere debeat, remedia minima adeo aequilibrium illud semel fractum aliquando restitnere poterunt. Affectus autem, quibus homines ad manus sibi inferendi consilium ducuntur, tam vehementes esse solent, ut omnium humanarum poenarum metus evanescat ipsaeque leges poenales ludibrio habeantur ([1]); religio vero, quum legi poenali eo maxime praestet, quod non corpus sed animum prae ceteris afficiat, quod affectns vehementissimos adeo regat sibiqne vi praeceptorum snorum subjiciat, religio dico, morali doctrina nitens, optimum remedinm est, quo propensio ad suicidium, siqnidem oriatur e corrupto morali principio, sananda videatur.

([1]) Vide Filangieri, la science de la législation, Tom. III, p. 341 suiv., Chauveau et Hélie, op. l. Tom. V, p. 225 sq.. Coll. Dumasio, op. l., p. 226 et Meriano in Hist. de l'Acad. royale des sc. et bell. lettr. de Berlin, 1763, Tom. XIX, p. 385.

Quum vero suicidae actio dijudicanda demum sit e caussis, ex quibus committatur, ii profecto inconsulte agunt, qui suicidium continuo anathemate plectunt, ipsiusque divini legislatoris prudentiam sibi vindicant, qui consulto in codice sacro de suicidio nihil constituit. Qui enim e praejudicata opinione, morbo, insania aliisve caussis, quae suicidae imputari nequeunt, vitae suae finem imposuerunt, commiseratione, non infamia vel anathemate digni videntur; excusandi sunt ii, qui vi quadam magistratuum vel tyrannorum ad mortem sibi inferendam compelluntur, qui decepti ex inscitia quadam vel casu, qui inopinata calamitate oppressi manus sibi intulerunt. Neque iis assentior, qui statuerunt homines numquam nisi e vehementi affectu vel summa mentis perturbatione mortem sibi conscivisse; saepe enim optimi quique sensus, studium libertatis vel injusti tyranni dominationem effugiendi, patriae salus ad mortem voluntariam duxerunt ([1]).

Philosophi antiqui, licet universe mortem voluntariam non probarent, ad unum omnes imbecillitati humanae aliquid largiti sunt; ipsa philosophia Stoica, quam, quoad placitum de morte voluntaria, medium inter ceteras philosophorum sectas et religionem Christianam tenuisse affirmare nobis

---

([1]) Cff. Reinhard, de m. v. quid et quam clare praec. phil., Tom. I, p. 69 sq., opusc. a Poelitz. edit., Garve, Phil. Anm. u. Abh. zu Cicero's Büchern von den Pflichten, Th. II, S. 211 f., Ausg. v. 1787.

posse videmur, ab hujus religionis praestantia eatenus recedebat, quod doctrinam de divina providentia non arcte cum placito de morte voluntaria conjungeret et, talem vitae exitum tanquam virtutis praesidium sapienti concedens, licet merito statuerit virtutem per se esse expetendam, ipsam hanc virtutem proponeret tanquam rem, quae ad summas incitas redigi queat, neque intelligeret eam, quum mente demum non corpore comprehendatur, se ipsam tutari. Elucet nimirum hac illud argumentum tractandi ratione maxime religionis Christianae praestantia, quod, quum singulae philosophorum sectae post prolixas de suicidio ejusque natura disputationes eo demum pervenissent, ut non nisi e certis quibusdam caussis illud concederent, ipsa vis doctrinae Christianae, quum omnia ad divinae providentiae fidem referat, licet de suicidio ne verbum quidem moneat, tanta sit, ut, quicunque hujus religionis praecepta teneat, mortem voluntariam nemini, in qualicunque vitae statu versetur, licere, vitae calamitates commiserationem quidem excitare vel excusationi ansam praebere, suicidae vero actionem numquam probabilem reddere posse sibi persuasum habeat. Nobilissimam mulierem Francicam, Mad. de Staël Holstein, erubuisse novimus, quod in juventute principia protulerit, quae suicidio faverent ([1]). Haec religionis Christianae prae philosophiae sectarum placitis commendatio non tamen

---

([1]) Opp. omn. Tom. III, p. 306.

excludit praestantiam nonnullarum harum sectarum doctrinae: nititur enim ea morali principio, ad vitae calamitates perferendas optima remedia praecipit, eatenus igitur eo inservit, ut ipsam religionem Christianam fulciat, ut is, qui veteris philosophiae placitis imbutus sit, hujus demum religionis praestantiam vera luce adspiciat. Optimorum igitur philosophiae praeceptorum cum religionis Christianae cultu conjunctionem, cum omnis doctrinae moralis fundamentum, tum in propensionem ad suicidium remedium vocare, numquam dubitabo.

Tabula Chronologica

SCRIPTORUM RECENTIORUM

QUI

DE MORTE VOLUNTARIA

EGERUNT.

Asterico (*) notavi scriptores, qui mortem voluntariam probarunt; signo crucis (†) eos, quorum ambigua est sententia; consulto tamen omisi eos scriptores, quos in priori commentatione, περὶ τῆς εὐλόγου ἐξαγωγῆς p. 360 sqq., jam retuleram, quos quisque facile suo loco supplebit.

Aquino, Thomas ab (1227—1274) Summa totius theologiae, II, 2, 64, p. 141 sq. ed. Antv. 1585.

* Morus, Thom. De optimo rei publicae statu deque nova insula Utopia, Lov. 1516, 4°, Lib. II, p. 120 ed. Bas. 1518, 4°.

Mechler, Egid. Verwarnung und Tröstlein aus göttl. Schrift, wider die schwere Anfechtung der Entleibung seiner Selbst, so oft aus Verzweifelung geschicht, Erfurdt, 1541, 8°.

Celichius, Andreas Ein nützlicher und nothwendiger Beweis von denen Leuthen, so sich selbst aus Angst, Verzweiffelung oder Andern Ursachen entleiben und hinrichten, Magdeb. 1578, 8°.

Piccolomineus, Franc. Philosophia de moribus, 1583.

Sigfredus, Tho. Ob König Saul, welcher sich selbst erstochen, selig oder verdammt zu achten sey, Leipz. 1591, 4°.

Grotius, Hugo De jure belli et pacis (1609), Lib. II, C. XIX, § V, 1—5 (¹).

† Hauranne, Jean du Verger de Abbé de St. Cyran ou plutôt St. Siran (Sigiranni), Question royale, où est montré, en quelle extremité, principalement en tems de paix, le sujet pourroit être obligé de conserver la vie du Prince aux dépens de la sienne, à Paris, 1609, 12° (²).

† Neumayer, Christoph. Diss. de autochiria, demonstrans homicidium sui ipsius jure civili esse licitum, Jen. 1609, 4°.

Mulhusius, Mich. Roth. De Saulis αὐτοχειρίᾳ, Franc. 1615.

Sym, Joh. The Lifes preservative against Self-killing, Lond. 1637, 4°.

(¹) Cff. Osiander in notis, p. 1109, † Henr. et Sam. Cocceji et van der Muelen in comm. ad b. l., Vethem, introd. ad Grotium p. 1245. (²) Cff. Petrus a Sto Romualdus in continuatione Chronici Ademari, p. 472 ad annum 1643; Moreri, Dict. v. Verger; Bayle, Dict. Art. St. Cyran; Feller, Dict. Hist., art. Verger de Hauranno; opus: Réponses aux lettres prov., p. 342 suiv., edit. de Liège, 1658; Voltaire, comm. sur le livre des délits et des peines, § XIX, Oper. omnium Vol. XXVIII, p. 273 sqq. edit. Par. 1824: ,,Le fameux Du Verger de Hauranne— écrivit vers l'an 1608 un traité sur le Suicide, qui est devenu un des livres les plus rares de l'Europe", et in nota: ,,Il fut imprimé in 12°, à Paris chez Toussaint du Brai en 1609, avec privilège du Roi: il doit être dans la Bibliothèque de S. M". De ipso auctore vidd. Mémoires chronologiques et dogmatiques pour servir à l'histoire ecclesiastique, Tom. II, p. 111 suiv., et liber: Unschuldige Nachrichten, S. 183, 1712. Colerus ejus librum Anthologiae suae, Tom. I, Fasc. I, p. 29 sqq., inseruit.

* Donne, John [1] Βιαθάνατος [2], a declaration of that paradoxe or thesis, that self-homicide is not so naturally a sinne, that it may never be otherwise wherein the nature an the extent of all these laws, which seeme to be violated by this act, are diligently surveyed. Written by John Donne, who afterwards received orders from the church of England and dyed Dean of saint Pauls, London. Published by authority London, 1644 vel ut alii 1648, 4°; recussus est liber Londini 1664 [3].

† Busembaum, Medulla theologiae moralis, III, 4, 1, 1, 1645.

Foresti, Pet. Obs. de quodam, qui laqueo injecto collo se ipsum interfecerat, et de alio, qui se ipsum suspendit; in ejus Obss. et Curat. medicinal. ac chirurgicar., Opp. omn. Tom. II, Lib. XV, obs. 25, p. 146, Rothom. 1653.

Barth, Casp. In annot. ad Aeneae Gazaei et

---

[1] Life of J. D. by Is. Walton, Lond. 1658. [2] De hac voce conf. Bibl. rais. d. Sav., Tom. VIII, p. 87 suiv. [3] Cff. Fabr. Bibl. Gr. Vol. II, p. 413 in not., Walchii Lex. Phil. Tom. II, v. Selbstmord, p. 888, 893; Stäudlin, Gesch. der Vorst. und Lehren vom Selbstmorde, S. 116—131; J. P. Miller, Zedeleer der H. S. van J. L. van Mosheim, Deel VI, H. II, § XI, bl. 425 volg.; Suppl. au dict. de Bayle par Chaufepié, Art. Donne, § 18; D. G. Morhofii Polyh. lit. Tom. I, Lib. VI, C. IV, § 18, p. 994, qui citat opus ab anonymo conscriptum contra Donnii sententiam de m. v.: Pellicanicidium, or the christian adviser against self-murther, together with a guide at the pilgrims pass to the land of the living, Lond. 1653, 8°. Donnium etiam refutavit J. Adamus, op. l.; qua de re vide Hochstetterum in coll. Pufend., exerc. 3, § 3, p. 220.

Zachariae Mitylenaei librum, de immortalitate animae et mortalitate universi, Lips. 1655.

Knopf, Περὶ τῆς αὐτοχειρίας, Jenae, 1657.

Posner, Casp. Disp. περὶ τῆς αὐτοχειρίας, Jen. 1657, 4°.

Oomius, Simon Prophylacticum vitae, ofte Beschermingc des Levens tegens Selfsmoorderije, Amst. 1660, 8°.

Wineker, Fried. Gründlicher und wahrhaftiger Bericht von Job. Balth. Kelterborn's Leben und jammerlichem Ende, Braunschw. 1660.

Spinoza, Ben. de Ethica ordine geometrico demonstrata (1663), IV, 18 sqq., Amst. 1677, 4°.

Grotius, Guil. De principiis juris naturalis, VII, 2, 1667, 4°.

Falckneri, Joh. Christoph. Discursus jur. de autochiria, vom Selbstmord, Jen. 1670, recus. Halae, 1728, 4°.

Strausii, Gottfr. Diss. Utrum quis ullo jure et ullo in casu sibi ipsi violentas manus inferre possit, Vit. 1670, 4°.

† Pufendorf, Sam. De jure naturae et gentium, (Lund. 1672, 4°) Lib. II, C. IV, § 17 sqq., p. 177 sqq. ed. Amst. 1688, 4°. (1).

——————— De officio hominis et civis, (Lund. 1673, 8°) Lib. I, C. V, § 9, p. 69 sq. ed. Francof. 1705 (2).

Stryckius, Sam. (Resp. Cas. ab Osten) Disp. sistens jus hominis in se ipsum, C. III, 1675; in Ejus opp. omn. Vol. II, Disp. XV, p. 416 sqq., Franc. et Lips. 1743.

(1) Cf. † Barbeyracius, ad h. l., in primis ad § 19, not. 3, p. 287 ed. Amst. 1734. (2) Cf. Otto, p. 132.

Leusler, Jo. Just. Diss. de jure mortis naturalis, Giess. 1677, 4° (1).

Schmid, Jo. Disp. de poena in mortuos, Lips. 1677.

Müller, Petr. Diss. de praeoccupando fato, Jen. 1681, 4°.

Miri, Ad. Erdm. Diss. de autochiria, Vit. 1682.

Simon, Joh. Georg. Diss. de jure hominis circa sua membra, in Ejus Praesidio Academico, II Tomm., Diss. 2, p. 72 sqq., Francof. et Lips. 1686, 4°.

Fiedler, Alb. (Resp. H. Heddenhausen) Diss. Phil. de moralitate facti Simsonis, an se ipsum occidendo fuerit αὐτόχειρ, 1688.

Hoč, Joh. Sim. De autochiria seu propricidio, Erford, 1688.

Weickhmann, Joach. (Resp. Joh. Mart. Stephani) Diss. de jure sepulturae per αὐτοχειρίαν amisso, Viteb. 1688, 4° (2).

Dietz, De Circumcellionibus, Lips. 1690.

Honck, Jac. van der Diss. de crimine autochirias, Lugd. Bat. 1693, 4°.

Praetorius, Der verdammliche Selbst- und Eigenmord, Danzig, 1693.

* Blount, Ch. Miscellaneous Works, edidit Gildonus Lindamuri nomine assumto, Lond. 1695 (3).

---

(1) Ita hanc dissertationem retulit Fr. Kappler, Handb. der Lit. des crim. R., S. 657, Stuttg. 1838; apud Hermannum, de aut. ect., lit. not. et recogn. p. VII, occurrit: Joh. Just. Leuster, Diss. de autochiria, Jen. 1657, 4°. (2) Qui § XII refert opus D. Schlegvigii, de αὐτοχειρίᾳ, Praeceptoris sui. (3) Blountii opus, Oracula Rationis, ab eodem Gildono jam separatim fuerat editum, Lond. 1693, 8°, cum praefatione, in qua non tantum

Roehrensee, Christ. (Resp. Christ. Kuntze) Diss. de Samsone crimine αὐτοχειρίας absoluto, Viteb. 1698.

Schramm, Jon. Conr. In Is. Abarbanelis (1437—1508) Disc. exeg. mor. de Saulis autocheiria et factis extremis, ex hujus comm. in Samuelem, I, 31, petitum, Helmst. 1700, 4°.

Adami, Joh. Tentamen de autochiria, sive: An essay concerning self-murther, wherein is endeavourd to prove that it is unlawful according to natural principles, Lond. 1700, 8° (¹).

Weissenborn, Christ. Diss. mor. de Samsonis morte, Jen. 1700, 4°.

Ludovici, Jac. Freder. (Resp. Joh. Jac. Hanewald) Diss. jur. de jure carnificum in bona propricidarum et quae circa eos reperiuntur, Von dem Rechte der Scharfrichter an denen Gütern der Selbst-Mörder und die um und neben denenselben gefunden werden, Hal. Magd. 1702, recus. 1739, 4°.

Perizonius, Dissert. de morte Judae et verbo ἀπάγχεσθαι, Traj. ad Rhen. 1702 et 1766, 8°.

Roehrensee, Disp. de autochiria subtili, Vit. 1702.

Schneemelcher, Joh. Laurent. Diss. de autochiria, Vit. 1702.

Stürmer, Reinhold Disp. de caede propria, Regiom. 1702.

Witzleben, Joh. Friederich (Resp. Christ. Sam. Scherffio) Diss. mor. de αὐτοχειρίᾳ, Lips. 1702, 4°.

---

illius suicidium probat, sed se adeo ejus exemplum secuturum esse profitetur. (¹) Rec. v. in Act. erud. Lips. m. Maj. 1701, p. 233 sqq.

Gildon, The Deists manual or rational enquiry into the christian religion, Lond. 1705.

Wernheri, Henr. Lud. Diss. de jure sibi nocendi, Lips. 1706, 4°, Viteb. 1721, 8°.

Slevogt, Joh. Hadr. Invitatio publica ad dissertationem inauguralem de cauteriis, cui prolusionis loco nonnulla αὐτοχειρίας medicae, Jen. 1708, 4°.

Thomasius, Christ. Inst. jurisprudentiae divinae, Lib. II, C. II, § 70 sqq., Hal. 1709.

Sahme, Reinh. Frid. Diss. II de sepulturae denegatione, von Versagung des Begrähnisses, Regiom. 1710, et Reg. et Lips. 1712, 4°.

Buddeus, J. Fr. Institutiones theologiae moralis, P. II, c. 3, sect. 3, § 16, Lips. 1711, 4°.

Doncan, Jo. Diss. de autochiria, Lugd. Bat. 1712, 4°.

Gerhard, Ephr. (Resp. Joh. Henr. Kromayer) Diss. jur. de crimine et poenis propricidii, Jen. 1712, recus. 1738, 4°.

* Deslandes, Andr. Fr. Boureau Réflexions sur les grands hommes qui sont morts en plaisantant, Amst. 1714, 12°.

Daegener, Car. Matth. Diss. de autochiria, Lips. 1715, 4°.

Hattwachsii, Jo. Mich. Biga quaestionum de juramento athei et religionis, Jen. 1715.

Marperger, Nöthige Warnung für der verderblichen Selbstmord, Nürnberg, 1715.

Gentzken, Syst. Philos. P. III, Hamb. 1717.

Bocrisius, Joh. Caspar Diss. de eo, quod justum est circa sepulturam propricidarum, Jen. 1718, recus. Alt. 1760, 4°.

Hecker, Henr. Corn. De αὐτοχειρίᾳ Martyrum, Lips. 1720.

Wolff, Chr. Vern. Ged. von der Menschen Thun u. Lassen (1720), § 437—444, S. 295—300, Hal. Magd. 1752.

* Montesquieu, Ch. de Secondat, (baron) de la Brède et de Lettres Persanes (1721), Lett. LXXVI; opp. omn. Tom. V, p. 205 sqq., ed. Par. 1816 (1).

Hasselt, Joh. Otho van Diss. de autochiria, Ultraj. 1722, 4°.

Crüger, M. Th. De eo quod justum est circa morem se devovendi pro salute alterius, § 3, p. 4 sqq., § 20, p. 49, 51, Vit. 1724, 4°.

Cloppenburg, Gerh. Ern. H. Diss. de autocheiria, Traj. ad Rhenum, 1726, 4°.

Walchius, Lex. Phil., Tit. *Selbstmord*, Lips. 1726, 8°.

Watt, J. S. Defence against the temptation of Self-murther, Lond. 1726, in Sermons, Discourses and Essays on various Subjects, Vol. II, p. 352—389, London, 1753; Germ. Watt's Verwahrung gegen die Versuchung zum Selbstmord. Aus dem Engl., Halle, 1740 (1758, 1776?); Vern. Watt's behoeding tegen de verzoeking tot den zelfsmoord.

Alberti, Michaël De autochiria Literatorum. Oratio Valedictoria. Hal. 1727.

---

(1) Refutatur a Chaufepié in Bibl. Rais., 1746, Tom. XXXVI, P. II, Art. IV, p. 303 suiv., Dumasio, Traité du suicide, Ch. VI, § I, p. 288 suiv., Buonafeda, op. l., p. 304 sqq. Cf. N. Bibl. Germ. pays du Nord et Suisse, 1751, Tom. IX, P. I, p. 129 suiv.

Strecker, Conr. Guil. Diss. de jure vitae et necis in se ipsnm, Erf. 1730, 4°.

Crellins, Christoph. Ludov. (Resp. C. R. Westhoff) Observationes ad L. III D. de bonis corum, opinioni quorundam de autochiria, quam fingunt, innocente opposita, Viteb. 1731, 4°; in Ejus diss. fasc. III, N° XIII, p. 416 sqq., Halae, 1775.

* Radicati, Alb. comes Passerani, A philosophical Dissertation upon Death, composed for the consolation of the Unhappy by a Friend to Truth, Lond. 1732, 8° (¹).

Wolfius, Chr. Philosophia moralis s. Ethica meth. scientif. pertr. P. IV, § 195 sqq., Hal. 1732.

.... Gottlieb Gaudlich, Eines Niedersächsischen Theologi Bedencken über die folgende richtige Fragen: I) Ob ein Melancholicus, welcher sich selbst nmbringet, schlechterdings zu verdammen sey? II) Wie man bey solchen Fällen die Hinterlassenen nnd Anverwandten zu trösten habe? 1735, 1749, 4°.

* Robeck, Joh. Calmaria-Suedi, Exercitatio philosophica de εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ sive morte voluntaria philosophorum et bonorum virorum etiam Judaeorum et Christianorum. Recensuit, perpetuis animadverss.

